



URALIS JURIDICA
ESSU
MARIO
in Daxon. Noviss.
AVGUSTO
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
D. C. HERRICO HIRNIO
Johannes Jacobus Göttingensis
ADVOCAT
CHRISTIANUS



2.
9. DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
**PROCESSU
SUMMARIO**
Ex §. IIX.

Resol. Elect. Saxon. Noviss.

1709,

186

QUAM

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO
PRINC. REGIO ET ELECTOR. SAXON. HEREDE ETC.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PRAESIDE

D. CASP. HENRICO HORNIO
JC., atque Antecessore, Potentissimi Regis Polen. & Electoris Saxonie
in summo Provocationum Senatu Confiliario, Curiae Electoralis Provincialis, Consistorii
Sacri, Scabinatus, Ordinis Juridici, nec non Judicii Lusatiae Inferioris Assessore

PRO

DIGNITATE DOCTORALI

Et summis in utroque Jure privilegiis obtainendis

IN AUDITORIO MAJORI

PUBLICE, AC SOLENNI ERUDITORUM DISCEPTATIONE
AD D. XII. DECEMB. M DCC IX.

Horis ante, & post meridiem statutis

EXPOSUIT

JOHANNES JACOBUS Gierisch / Torgav.

EDITION SECUNDA.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDUAE GERDESIANAE. 1718.

DISTRIBUTIO NAVICARIALIS IURIS DICI

PROCESSU SUMMARIO

XII.

RUD. ERIC. SAXON. M. 1717.

60 MAI

SACRAZIMO TITULI DE RE DOWI

DN. ERICICO AGASTO
TRINAE RESCIPIO ET ELECTOR SAXON HEREDIS ETC
RELIATOR MAGNIFICENTIA A M

PRÆLITER

D. CÆS. HENRICO HORNI
TACITUS ARCHEPISCOPI, BORGENIENSIS ROTULI, & REGIAE SAXONI
TACITUS LEXICONIS PEGNAE QVAM, QVAM ELEGANTIA PROLITERA CUNNING
TACITUS, QVAM OMINIS LEXICONIS, QVAM LEXICONIS TACITUS, TACITUS TACITUS

PRO

DIGESTATR DOCT ORVI

ET TACITUS IN TACITUS, TACITUS IN TACITUS

17

TACITUS AC TACITUS TACITUS TACITUS

AD D. XI. DECIMI. V. DOC

17

XX. TACITUS

JOHANNES JACOBUS GUTTER, TACITUS

FESTO 25. NOV.

LITAMPLIA, TACITUS AIDTE GLERDSSVNAE 1717.

DE
PROCESSU
SUMMARIO
EX S. IIX.
RESOL. ELECT. SAX. NOVISS.

I.

Vti in omnibus rebus, quæ in civili *Ordine* in societate peragendæ sunt, ordine *omnibus* quodam, & *euταξίᾳ* opus est, si qui-
dem ad communem finem, publi- *rebus* *opus* ;
cam salutem obtainendam, dirigi
debet: ita maxime dispositio apta
& collatio rerum requiritur, ubi
coram tribunalibus lites, quæ inter cives intercedunt, disce-
ptantur ac dijudicantur. Hoc enim si destituamur ordi-
ne, Antabadarum more contenditur, decertaturque, & non *eiam in*
possunt non lites protrahi, atque difficillime ad exitum de- *Foro*.
duci. Ut vero lites recte & ordine peragantur, si ulla
unquam Nomothesia, *Romana* certe, curam maximam ad- *Romano-*
hibuit, & nescio, an non interdum nimis sollicita fuerit, *rum cura*.
atque dum nimium studuit solennibus juris, ad apices
eius pervenerit, & fraudibus, sophismatibus, captionibus.

A 2

que

que præbuerit occasionem. Ratio ista causas orandi definiendique, verus præsertim, & diu ante Justinianum usitata, in libris juris nostri satis perplexe traditur. Ac licet BARNABAS BRISSONIUS, CAROLUS SIGONIUS, FRANCISCUS POLLETTUS aliisque multam impenderit operam, ut formam judiciorum Romanorum exacte ævo nostro fisterent: fatendum tamen est, magnam horum virorum industriam non suffecisse, ut perfectam notitiam consequi potuerimus istorum judiciorum: unde & difficultatibus tollendis vix par est nostra ætas, quæ in argumento de judiciis deprehenduntur.

II.

Ordo iu- *Ordo iste, vel ratio legitima lites apud Judicem tra-*
diciorum. Etandi, vel forma experienda de jure, seu ut alii loquuntur,
modus legitimus causas in judicio proponendi, ventilandi, ac
djudicandi, hodie inter pragmaticos Processus, h. e. ordo
procedendi coram judge in tractatione causarum dici so-
let, quo sensu etiam hæc vox reperitur in Ord. Jud. Elect.
Sax. tit. 2. §. Also verschen, ibi: des negotii und Processus
tit. 37. §. Weil wir: quamvis hæc vox interdum pro citatio-
nibus mandatis, aliquaque decretis judicum, extra Saxoniæ
præsertim, accipiat O. C. Part. 3. tit. 12. §. 2. Was die La-
dung/ Mandate / und andere Processe betreffend. MYN-
SING. Lib. 2. Obs. 9. Ord. Jud. Sax. El. cit. 1. in fin. Ordo
ille vero est forma, qua conjuncta cum materia, hoc est,
causa vel actione in judicium deducta (quæ & ipsa inter-
dum judicium dicitur L. 1. ff. Com. divid.) formatum nobis
redit, ipsam scilicet totam tractationem, & dijudica-
tionem cause controversæ, quam judicium nostri in sensu
quodam excellentiori vocant t. t. ff. & Cod. d. Jud. cap. fin.
X. de V. S. ubi Dd. De cuius vocis vario sensu, præ aliis vid.

RIT-

EX §. IIX. RESOL. ELECT. SAX. NOVISS.

RITT ERSH. P. 9. Nov. Cap. 3. §. 2. Eodem sensu & ^{to}
Processus interdum venit, ut constat ex Ord. Judic. tit. 2. §.
ult. circ. fin.

III.

Tritissima in foro nostro distinctio Judicij & Pro- Processus
cessus est in ordinarium & summarium, sive extraordinari- Ordinari-
um. Illum vocant, ubi ordo judiciorum solennis obser- us & Sum-
vatur, causæque plena & exacta fit cognitio, nec quicquam marius.
omittitur, quod vel actori, vel reo ulla ratione commodo
esse potest. Hunc vocant, ubi non omnia solennia obser-
vantur, sed substantialia saltē, & cognitio & disceptatio
judicialis brevior adhibetur, exacta tamen & sufficiens ad
veritatem exquirendam: vel etiam interdum minus exacta,
ubi scilicet præparatio saltē ad plenariam cognitionem
fit, vel causæ levitas exactam non meretur. Derivant Ex j. Ca-
proxime hanc distinctionem ex jure Canon., & famosa illa non.
Clement. Sepe. d. V. S. Quod Jus Can. apud Germanos no-
stros prius invaluit, quam Jus Civ. Rom. Neque tamen
& huic incognita fuit hæc divisio judicij, vel processus:
quandoquidem ex variis locis satis constat, quam sapissi- Ex Jur.
me solennia judiciorum neglecta, atque summarium de sim- Civ.
plici & plano, levato velo cognitum, judicatumve, vel de-
cretum esse L. 8. C. Unde Vi. L. un. C. Si de momento poss. L.
ult. C. quor. bon. L. 3. §. 8. de Bon. possess. Alias ignotum Jud. Ord.
non est, alio quoque sensu Judicia ordinaria vel extraordi- & Extra-
naria, & tempore Justiniani omnia extraordinaria fuisse,
d. §. fin. J. d. Interd. ubi Vinnius, eo scilicet, quo ad modum
exercendi respicitur. Ubi scilicet vel a magistratu peda-
neus judex cum formula dabatur, quod ordinarie judici-
um exerceri dicebatur, vel ubi extra ordinem magistratus
ipsi jus reddebant, nullo judici pedaneo dato. Illa ratio
Ord. ratio-
ne execu-
tionis.

cum sub Imperatoribus sublata sit, & magistratus ipsi judicare iusti fuerint, semper extra ordinem jus dici, & omnia judicia extraordinaria esse, dicebatur. Conf. L. 2. C. d. Pedan. Judic.

IV.

Jure Civ. Omnes illæ causæ ad quarum disceptationem judex dabatur, & ratione modi procedendi ordinariæ erant, quia scilicet judex ad ordinem præscriptum, & formulam adstrictus erat. Quod vero ad illas attinet, quas durante adhuc differentia juris & judicii magistratus sibi servabant, summarias vel extraordinarias, & intuitu modi procedendi fuisse, passim traditur. Sed tamen & in his differentia erat. Namque interdum magistratus pro tribunali sedens interponebat decretum causa cognita summatim L. 1. §. 14. ff. d. Carb. Edict. L. 3. §. 8. d. bon. possess. quandoque vero non ascenso tribunali, vel surgens, & discedens a tribunali, in plano vel obambulans in plano, levato velo, quod super forum expansum erat, in levioribus negotiis, obiter partibus auditis, vel præoccupatis decernebat. L. 9. §. 3. ff. d. Offic. Procons. L. 4. C. d. Dilat. Quod commode advertit HÜBER, ad tit. ff. d. Judiciis §. 34, cui jungatur FRANCISC. POLLETTUS Häß. For. Rom. Lib. i. c. 5, ibique BROIDEUS. Ex quo intelligimus & Romano Jure in summario processu gradus, nec unius generis illum fuisse; æque ac moribus nostris contingere solet, ubi Processus summarius propter gradus, quibus distinguitur, in varias species abit. Schilter. Ex. 13. §. 8. s. dup. 1701. 10. v. id. V.

Summarius. Nempe Praxis docet, Processum Summarium interdum us Processus quam proxime ad ordinarii naturam accedere, atque illum sus quoque fere imitari, ita, ut, licet non omnia solennia observentur, præter

præter petitionem tamen aliquam, quæ in causis alicujus plex hominem, res per demonstrationes ab utraque parte peragatur, testibus minimum duobus iisque juratis opus sit, aut per jurisjurandi delationem, recognitioque documentorum non nisi post responsionem admittatur, exactaque sic fiat cognitio, locum etiam inveniant remedias suspensiva, & devolutiva &c. Quem processum summarium regulari vocant. Quod si tamen illas regulas, secundum quas hic *Summarius Processus* dirigendus, quæras, & examines, experieris, plerasque non ex jure scripto, & *Clementina* ista Sæpe, sed ex moribus, vel potius ex cerebro Dd. natae esse, vel profluere, ipsosque in illis tradendis valde fluctuare. Id quod vel solum hoc argumentum, quod de differentia probationis ac reprobationis (Beweis und Gegen-Beweis) a demonstrationibus, von Bescheinigungen und Gegenbescheinigungen / præsertim in quæstionibus: an hic opus articulis? an interrogatoria licita? &c. occupatur, comprobabit; ubi a multis multa ingeniose ex cogitata reperies, sed pro arbitrio sine lege; usum vero judiciorum inconstantem. Sæpe etiam summarius hic processus regularis per regulas istas ita pretenditur, ut diuturnitate non cedat ordinario, sed eum aequet, & supereret. Quorsum pertinet quod demonstratio nullo termino legali includitur, & nisi in sententia præfixus, post multos annos ea fieri potest; & si maxime demonstrationi statutus a Judice, ad contrariam tamen illum non pertinere credatur, nisi clausula: in ebenmässiger Frist adjecta sit. SCHVEND. ad Fibig. Pro. pag. 653. Magnif. Dr. BERGER, Resol. Laut. p. 505. Ut adeo maxime ere esset publica, lege rationem hujus processus plene & exacte definiri.

Regularis.

*Dubio ju-
re inniti-
tur.*

*Abusus
illius*

VI.

Irregularis.

Quando vero ab ipsis regulis summarii Processus abimus, summarius *irregularis* nascitur processus, id quod variis modis contingit. M. D. BERGER. *El. Pr. Exec. tb. V.* Quod si enim quis primo instructus sit instrumento gravendigionato, ex quo, quis, quid, quale & quantum, pure, & ex qua causa debeat, perspicue cognosci possit, de cuius requisitis plene agit novissime M. Dn. BERG. *in Elec. Pr. Execut.* recognitio statim peti potest, quam condemnatio & executio mox sequitur; nisi simili instrumento tuerit se possit reus. *Quem processum executivum dicimus, in universa Germania usitatum, nec incognitum plane Juri Rom. uti ex L. 6. C. Iheol. d. Denunciation. patet, quamvis extra nostram Saxon. Jure communi publicum instrumentum si sit, ne quidem recognitione opus, Mart. ad tit 25. O. J. §. 2.* Processum hunc secundum instituta nostra Saxonica *Resolutio gravaminum §. 3. seqq. Decisoque novissima XII.* & præter COLER. CARPZ. FIBIG. SCHWEND. aliasque novissime dilineant SCHILTER. *Exercit. 13. §. 15.* Dn. BERGER. *in Elec. Execut. Proc.*

VII.

*Execut. Proc. & executio-
nis petitio
differunt.*

Ceterum cum isto Processu executivo non confundenda est petitio executionis sententiae, vel decreti, quod vires judicati accepit; quæ & in Saxon. nostra ubi alioquin & publica documenta recognoscenda, Neue Ge- richts-Ordn. tit. 25. Dec. 74. juncz. d. 12, nulla recognitione egent, sed ex illis, uti etiam tunc, ubi recessus judicialis producitur, recta via executio peti decernique potest, juxta §. 2. der N. Elec. Quæ sæpe confunduntur ab im- peritis advocatis, vel negliguntur cum damno clientum; qui cum executionem statim consequi queant, executivo pro- cessui

cessui innectuntur Dn. SCHVVEND. ad Fibig. pag. 710. 941.
Dn. BERG. P. I. Supplementor. Elect. p. 183. Quæ petitio execu-
tionis rationem summarii processus irregularis etiam
habet. Eadem etiam rationem Processus Cambialis mor-
ibus pasim receptus & LL. instructus habet, ubi, facta re- Cambia-
cognitione, quoisque non solvitur, arrestum personale les.
locum invenit. Ex J. Civ. remedium ex L. fin. C. d. Edict. Ex L. f. C.
D. Hadrian. toll. huc referri potest.

de Ed. D.
Hadr. toll.

Porro in Possessoriis retinenda possessionis non con-
tentia praxis fuit processu summario regulari, in his judici- Possess.
is, Jure civili quoque usitato; L. un. C. Si de mom. poss. d. riiss.
ult. C. Quor. bon. sed adhuc magis celerem, & summarissi-
mum introduxit processum, ut eo facilius turbis aliquisque
malis, ex litibus de possessione retinenda oriundis, obvi-
am iri posit, ita scilicet, ut judex de facto possessionis sine
figura judicii utcumque certus, etiam ex unius jurati testis
depositione, vel duorum injuratorum fide dignorum, non
expectata reprobatione, statim hujus vel illius possessionem
tueri posit, nec remedia suspensiva, vel devolutiva admit-
tantur. Ord. Cam. P. 3. tit. 25. Dec. Sax. I. CARPOV. Lib. I. Resp. 9.
BRUNNEM. Proc. Civ. c. I. §. 43. In compensationem cer-
leris hujus & quasi tumultuarie rationis procedendi finito
hoc possessorio usus fori aliud possessorium, quod ordinari-
num vocant, admittit, idque ordinario processu tracta-
tur: ita, ut libellus, litis contestatio, probatio & reprobatio.
atque omnia, quæ ordinarius Processus exigit, requirantur,
& appellationi, ac aliis remedii suspensi vis locus sit. CARP.
Lib. I. Resp. XI. seq. BRUNN. Proc. civ. c. I. n. 48. / qq. MENOCH.
remed. recip. poss. 4. n. 70. Etsi vero haec dispositioni juris
civ. non usque quaque convenient, quod in omni posses-
sorio

to ROM DE PROCESSU SUMMARIO X

forio respuit ordinarium processum, ob quam caussam interalia MENDANUS distinctionem professorii summarum & summarissimi impugnat commentario 13. d. Interd. usus tamen indubitatus, qui jus facit, haec omnia recepit, quæ & LL. publicis comprobantur Vid. Ord. Cam. P. 2. t. 21. ita, ut omnis contra hanc rem disputatio sit otiosa. Magnif. Dn. MENCK. *Dissert. Proces. I. §. 38.*

I. X.

Praterea ad Procesum irregularem summarium illa ratio procedendi pertinet, quam nostrates den Rügenses Proces vocant, quæ in causis levioribus usu frequentatur, ubi minus exacta cognitio & probatio requiritur, & unus testis sufficit, de quo agit CARPZOV. *Pr. tit. l. art. 1. n. 67.* *& in Proces. Crimi. n. 4. q. n. 52.* Conf. Dn. MENCK. *Disput. Proces. I. §. 43.* Denique ad irregularē Procesum spectat ille, qui in §. 8. Nov. Resol. Saxon. anno 1661 promulgat. Proc. ex §. 8. Resol. reperitur, de quo nunc speciatim agere constitutum est. Noviss.

Ut taceamus conventione partium quoque peculiarem & summariam procedendi rationem suscipi posse, quæ eo usque licita, quounque nulla prohibitiva lex illam impediat. Cleuent. Sape ibi nisi aliud de partium voluntate procedat. Ord. jud. tit. i. §. Besonders. Dn. BERG. in El. Proc. Execut. §. 5.

X.

Omnis causa reg. Ante vero, quam ad rem accedamus, illud commo-
nendum est, regulæ locum habendum esse ex L. 3. §. 13. ff.
est ordina- ad Exbib. l. 9. C. Jud. ibique Dd. omnem causam solenni ordini-
ria.

judiciorum alligata esse. Quod ipsa natura rei satis docet.
Exceptio: Excipit vero quasdam causas jus nostrum ab ista regula ob
eiusque favorem publicum, vel pia causa, vel periculum in mora,
vel quia preparatoria tantum sunt, aut voluntariae juris-
dictio-

EX §. IX. RESOL. ELECT. SAX. NOV.

dictionis, de quibus CARPZO v. in Pr. tit. 1. art. 48. D. Mart. tit. 1. Proc. D. N. STRYK. Us. Mod. 1. de Judiciis §. 3; agit. ^{funda-}
Quod si ergo quis summariam causam dicit, alter vero ne- ^{mentum.}
get, ejus probatio erit, qui affirmat. CARPZ. d. 1. n. 7. Pa-
riter si constat, causam summariam esse, regulariter processus
regularis locum inveniet, quo usque exceptio irregularita-
tis non probatur. Fieri tamen potest, ut rationi proce-
dendi ordinariae summaria accedat e. c. si punctum inci-
dens, vel quod ad præparatoria pertinet, expediendum, ut
in negotiorum actione, si reus dominium neget, demonstratio
ejus; vel discussio actionis ad exhibendum ad præparan-
dam rei vindicationem. Porro observandum summarie
um processum favorem actoris respicere, ut suum citius ^{Summar.}
consequatur, sic eo invito in ordinarium commutari non ^{Proc. re-}
posse. Sed nec potest tamen actor hunc favorem reo invi- ^{spicit fa-}
dere, cuius interest citius a lice liberari, & adeo reo invi- ^{vorem a.}
to actor causam summariam ordinarie & per ambages ^{& R.}
tractare nequit; quod dum appetit a suspicione vexae se
haud liberabit, BRUNNEM. Pr. Civ. c. 1. n. 17. Et licet ju-
dex admittere haud debeat, ut partes volentes summa-
riam causam ordinarie tractent, quoniam publice interest
diuturnitatem litium præscindi L. 21. ff. d. R. C. l. 12. C. de
Jud. si tamen id factum, processus ideo irritus non est,
monente CLEMENTE Pontifice d. l.

^{XI.} Si causa vero est ordinaria, invito reo beneficium ^{Idem est in}
partes suas solenniter & pleno ordine explendi, auferri ne- ^{Ordina-}
quit; Magnis. D. N. RIVIN. Tit. 5. Enunciat. 15. & de Ex- ^{rio.}
ception. Cap. 27. uti nec reus audiendus est, si causam or-
dinariam summarie tractari postulet, invito actore. Nec
assentiri possumus CARPZO v. tit. 1. Pr. art. 1. §. 62. SCHILT.

ex. 13. t. b. 8. existimantibus, judicem, ordinarium in summarium processum, commutare posse, si æquum visum est.

Judex in- Nam licet ad Judicis officium utique pertineat, curare, ut lis-
vitis par- tes quam citissime finiantur, vel ut loquitur ZENO in L-
tibus ordi- 12. C. d. jud. οὐντόπως, compendiose (quam quidem legem
narium in ex Basil. Cujac. restituit,) partesque bona ratione eo de-
summari- ducere, ut summarium processum præferant ordinario;
um con- quorsum etiam pertinet Ord. jud. El. Sax. tit. §. Besonts
verttere ne- quit. divers. nullibi tamen judici hæc potestas est data, ut ordi-
Potest ta- nem præscriptum a lege immutare queat. Principem
men Prin- vero, si lis coram ejus auditorio vertatur, id facere posse
ceps. facile largior, SCHULTES. Obs. 3. n. 237. Ut & illæ consti-
tutiones laudandæ sunt, quibus jubentur judges id agere,
ut summarie & quantum possibile est, brevissime causæ
expediantur. Quorsum pertinet. Ord. jud. Magd. tit. 18.
§. 5. Ubi tamen maxime observanda regula CLEMENTIS
Ex sum- Pontificis: Non sic lites abbreviet judex, quin probationes
mario non necessaria & defensiones legitime admittantur, quod moni-
fiat tu- tum & repedit d. Ord. jud. Magdeb.
multuari- us. XII. Proprius nunc accedamus ad institutum, speciem
Auctor nempe processus illius irregularis summarii, quam suppe-
Constitu- ditat §. 8. Ref. Nov. Sc. egerat Sereniss. Elect. Sax. D. JOH.
tionis no- GEORGIVS I. anno 1653, & postea anno 1657, filius ejus
sbra & oc- Seren. JOH. GEORGIVS II. cum Ordinibus provin-
tatio. cialibus de pluribus rebus ad publicam rem, & inter illas,
forensim pertinentibus, atque in certa capita consensum
est, eo modo, qui in comitiis nostris Provincialibus est recep-
tus. Conclusa ista Potentissimi Principis & LL. autoritate
promulgatae sunt anno 1661. & LL. nostris publicis accentuæ.
Actum ibi est primum de Processu Executivo. Inniti-
istum

istum processum instrumentis gvarendigiatis notum est, & ex dictis Resolut. satis comprobatum. Quia tamen fieri potest, ut agere volens instructus quidem sit instrumentis, non iis tamen, quæ paratam executionem post factam recognitionem merentur, & sic cessante processu executivo, causa, quæ alioquin ordinaria sua natura est, ordinario etiam modo tractanda veniat: solicitude Legislatoris id egit, ut via patescat, qua si non executive, summarie tamen & quidem contra naturam communem processus summarii regularis, statim ad recognitionem agi possit.

XIII.

Summa illius constitutionis hæc est: Actor exhibeat *Summa Legis.* Judici summarium libellum vel supplicam cum copiis instrumentorum, quibus omnia facta, intentio actoris, quibus innititur, probantur. Judge concessu termino Sax. reum rite citet, & si non compareat, citationem illam sub poena confessi & convicti repeatat, sub qua poena reus respondere debet, integrum tamen est exceptiones peremptorias objicere & sic causas peragere, ut alias suetum. Emanente vero reo, documenta pro recognitis habenda, & sic condemnatio fieri debet. Sed interest ipsum audire Nomothetam: Hätte aber zum gten ein Kläger nicht solche Documenta in Händen/ dadurch alsbald parata executio post gis. factam recognitionem anzustellen / sondern es stünde die erhobne Klage in altiore indagine, und erforderte caufz cognitionem; Es könnten aber gleichwohl alle facta durch documenta beygebracht werden/ also dass es keiner Zeugen Verhöre bedürfe/ in einen solchen Fall soll der Kläger Pro-cessum ordinarium wider seinen Willen/ wenn auch gleich actio realis, oder hypothecaria contra tertium possessorum, moviret würde/ anzustellen / nicht verbunden / sondern ge-

nungsam seyn / wenn Kläger eine summarische imploration oder Supplication eingeibt / und derselben alle und jede Documenta, dadurch er seine intention zu behaupten vermeinet / in Copia besleget / welche der ordentliche Richter von Ihme annehmen / darauf ein Termin, Sächs. Frist in sich haltend/ anzusehn / dem Beklagten von der Klage und allen Beylagen auf Klägers Unkosten Abschrift zu schicken / und der Beklagte auf einen gewissen Tag auf die Klage antworten / usf ungehorsames Auftretenbleiben aber sub poena confessi anderweit denselben vorladen solle. Wenn nun beyde Theile in Termine erscheinen / So hat der Richter vor allen Dingen zwischen ihnen gütliche Handlung mit allen Fleiß zu versuchen / und ihnen der Sache Zustand nothdürftig zu Gemüthe zu führen; Da aber selbige entstünde / soll Beklagter alsbald auf die Klage sub poena confessi & convicti sich einlassen / seine Exceptiones peremptorias, dasfern er derselben zu haben vermeinet / dabei vorbringen / und so dann beyde Theile mit ihrer Nothdürft / unserer Procesz-Ordnung gemäß ferner verfahren. Do aber Beklagter abermahlen / und also in andern Termine ungehorsamlich auftreten bleibet / die producirtēn Documenta pro recognitis erkennet werden.

XIV.

Apparet ex his statim primo intuitu legem nostram exceptionem proponere a regula quam th. XI. tradidimus;
Exc. a Reg. §. XI. *quod scilicet Actor ordinariam causam in summariam convertere non possit, invito scilicet reo.* Indulget enim, facultatemque concedit Legislator actori, ita instrumentis instructo, ut constitutio praestruit, de qua re in seqq. dicam, ut relinquere possit Processum ordinarium, nec invitatus eo implicetur. Hanc Nomothesiam nulla ratio alia, quam

quam studium abbreviandarum litium extorsit; & eo magis quidem, quod iniquum visum fuit, illum ordinario *Ratio Con-*

situs.

processui innecti, qui documentis instructus ad executum quidem non aptis, probantibus tamen facta, quibus intentio actoris inititur. Atque haec causa etiam est, quod non satis visum, actori tali processum indulgere summarium regularem, ubi demum post responsionem ad demonstrationem, productionemque instrumentorum via patet; sed id quoque placuit, ut anticipare liceat demonstrationem, & statim sub primordio petere recognitionem.

Id quod omne fieri potest invito reclamanteque reo: quod ratio legis satis docet, licet nihil hac de re verbis exprimat. Et sane si rei assensus exigetur, nihil pro-

desset constitutio. Nam & alias conventione partium

tractatio summaria etiam irregularis suscipi potest. Op- *Usus hujus*
pido tamen notandum est, Legislatorem arbitrio actoris *Practice*
soli reliquisse, num processu ordinario vel hoc summa-
rio uti velit: æque ac id intuitu Executivi Processus fa-

Etum Decisione noviss. XII. insin. Atque adeo nullum jus est

reo postulandi, ut actor invitus hanc viam eligat; quod

sane satis comprobant verba: *Soll der Kläger Processum*

ordinarium wider seinen Willen anzustellen nicht ver-

bunden sondern genügsam seyn ic. Quæ res etiam non ca-

ret satis idonea ratione. Quoniam enim processus hic noster

uti sua commoda, ita & incommoda haud levia habet, de

quibus infra est agendum, & sape fieri potest, ut actor, si non

caute eo utatur, causa, etiam bona alioquin, cadat: ini-

quum suisset invitum actorem huic novæ rationi adstrin-

gere agendi. Merito itaque res illius arbitrio est relicta:

æque ac illud, quod eadem ratio svaldet, utrum pro re nata

summario, si causa talis, regulari uti malit, quam hoc irre-

gulari

pender.

gulari. Judicet ergo vel ipse, vel qui causam ejus orat, quid expediatur, collatis omnibus quæ negotium circumstant, ne encomium stultissimum mereatur, quod Justinianus §. 3. *Instit.* Quod cum eo qui in alterius &c. illis tribuit, qui omisa actione vel modo agendi, quo facilime suum consequi possunt, se ad varias perducant ipsi difficultates. Pertinet huc locus CICERONIS Lib. 2. de Orat. Cap. 102.

XV.

Dum ita intelleximus, illi, qui Actoris partes sustinet indultum, ejusque arbitrio relictum esse, hac ratione pro-

*Quæ actio cedendi uti, vel non: videndum nunc est, quæ actio hoc
hoc modo in judicium deduci queat? Quibus ratio procedendi
est? Itra-
ctari pos-
sit?*
*Omnis a-
ctio ex-
ecutive
tractari
potest.
Etiam
realis.*

executive cognita, illis non ignotum esse potest, omnem actionem, sive ordinaria alias sit, sive summaria, executivum processum admittere, modo instructus sit agens instrumentis gvaendigatis, ex quibus facta recognitione Judici statim de confessione rei, & iusta petitione actoris constat: nec quicquam appareat in continenti liquido, quod pro sit reo, vel intentionem actoris elidat, aut plane nullum esse ostendat. Neque etiam ab hac generalitate reales actiones exceptas ullibi novimus. Evidem CARPOV. tit. 22. Proc. art. 2. n. 28. inauditum esse dicit executivum in reilibus actionibus admitti: nec legem tamen, nec rationem allegat, nec autoritatem aliorum, unde hac parte exceptio probari posit. Et sane instrumenta executivo processui apta dari posse, quibus intentio actoris hac parte satis probari statim queat, ex infra dicendis apparebit. Quod si vero ejusmodi instrumentis destitutus actor, causam ordinariam summarie tractari nequit; & ne quidem summariam ita, ut statim recognitionem documentorum non Gvaendigatorum petere liceat. Saltim in Saxonia nostra Ele-

Elector, hoc antea non licuit, quicquid alibi alias placuerit, quibus non adeo exacta ratio orandi causas est familiaris. Interim tamen præstructis terminis habilibus isto processu irregulari summario locum facit constitutio nostra; circa quam regulam tradit: omnem ordinariam vel ordinario processu tractandam actionem hac ratione disceptari posse. Quod ex verbis patet: Soll der Schäger Omnis a- processum ordinarium &c. Quo ipso tamen etiam si dio ordi- mul hoc comprehensum esse existimo summariam actio naria tra- ncm, vel summario regulari processu tractandam, non esse Etari pot- excludendam a nostra Practica. a. l. 6. §. 1. d. V. S. Nam li- est processu irregula- cet hoc verbis non exprimatur; menti tamen legislatoris ri. omnino conveniens est, qui, dum passus est ordinarium Etiam Processum commutari in hunc irregularem, absque dubio summaria etiam haud denegare voluit, summarium regularem in regularis. hunc irregularem converti, quorum uterque non tanto- pere a se invicem discrepant, ac quidem ordinarius a nostro irregulari. Profecto cum animus fuerit Nomothe- ta compendium processus facere, & modum quam proxime ad executivum accedentem invenire, facile conjicere licet, & hanc illius sententiam fuisse.

XVI.

Istam vero regulam quam proposui ampliat ita con- Ampliatio stitutio ipsa, ut locum habeat etiam tunc, si actio realis, vel regule: hypothecaria contra tertium possessorem instituatur: Wenn quod auch gleich Actio realis, & hypothecaria contra tertium possessorem moviret würde. Quæ ampliatio ratione reales, lium actionum forte ideo nominatim adjecta est, quod dubitatum antea fuit cum CARPOV. utrum executivus processus realibus actionibus accommodari queat; & per hoc, an conveniens sit indulgere, hoc nostro irregulari pro-

C

cessu

cesso ut discutiantur, & petitio recognitionis statim admittatur, ubi instrumenta executivo apta non deprehenduntur. Negandum vero de cetero non est, dubium excitatur: quodammodo videtur, quomodo particula *Oder* / in verbis legis supra relatis quæ habetur, intelligenda veniat? Quodsi enim tribus huic vocabulo vim *adversativam*, quod saepius sit, sensus hic videtur esse; quasi *actio hypothecaria & realis* tanquam species plane diversæ sibi invicem opponantur; vel quasi legislator hypothecariam actionem e numero realium, sub quibus tanquam sub genere species, comprehenditur, §. 7. f. d. *Actionibus* eximere voluisse. Quod tamen credibile non est: nec fieri etiam potest, dum jure in re a parte actoris, & a parte rei possessione innititur: unde non potest non inferri realis actio. Deinde videri posset, vim esse hoc loco particulae isti *declarativam*, atque idem significare; ac, id est, hoc sensu, ut innuat per realem actionem nullam aliam intelligi, quam hypothecariam. Sed quia ratio, quæ pro hypothecaria hic pugnat ad omnes reales actiones pertinet, nec causa apparent cur Legislator, cui animus fuit in universum litium terminos breviores efficere, ad solam hanc ex realibus hypothecariam legem restringere voluisse. Supereft ergo, ut dicamus voculam hanc inter genus & speciem positam vim *exemplificandi & copulandi* hic habere, hoc sensu, ut tum in omni reali actione, tum in specie intuitu hujus hypothecariae locum habeat modus hic agendi, atque ideo post generalem expressionem realis actionis hypothecariae & quidem ejus quæ adversus tertium possessorum datur, mentionem factam esse speciatim, quod de ea forte maxime dubitatum fuit, nec conveniens adeo visum ex instrumento, quo principalis debitor hypothecam

cam constituit, tertium conveniri, vid. STRAUCH, in Lexic.
Partic. Voce, vel. & SPEIDELVS in Voce: *Uder.*

XVII.

Exempla hypothecariæ actionis contra tertium in juc- Exempla.
dicio deductæ hoc nostro processu una cum præjudiciis
legi possunt apud SCHILTER Ex. 33. §. 18. & apud D. MENCK, Realium.
Disp. Process. I. §. 41. Ex realibus aliis actionibus nullius
speciatim mentio sit in textu nostro: comprehenduntur
tamen omnes sub eodem genere L. 147. ff. d. R. I. Nic. Proc.
p. 241. Atque sic namo dubitabit rei vindicationem et
iam hic pertinere juxta Lips. JCtos. apud DN. BERGER.
Disceptat. Forens. T. i. p. 14. Nec etiam excludenda erit here-
ditatis petitio DN. RIVEN. de Except. Cap. 27. n. 3. Clauder in
Inform. Jur. theor. pract. p. 244. uti nec actio confessoria &
negatoria, cuius rei exemplum ratione census constituti
habet illustris BORNITIUS in Differt. d. Censu constitut. cap.
4. §. 9. De personalibus actionibus minus dubii est, cum Personæ-
omnibus fatentibus executivo processu tractari possint, lium.
quem noster quodammodo imitatur, & adeo non opus
fuit nominatim quicquam addere de iis. In Differt. sub
III. BORNIO habita de conditione certi ex mutuo. cap. 5. §. 3.
casus huc trahitur; ubi adversus civitatem ex mutuo agi-
tur, & cum juxta L. Civitas. ff. de Reb. Cred. versio in rem
civitatis probanda sit, loco probationis hujus, apocha cre-
ditoris civitatis, qui exista pecunia dimissus est, cautioni
jungitur, & recognitio utriusque petitur instrumenti. For-
mula libelli ibidem habetur. DN. MENCK. in Diff. de Feudo
ex pacto cum simultaneo investiture alienabili. §. 29. huc tra-
hit casum, ubi ex tali pacto adversus simultaneo investi-
tum agitur; quo tamen casu & executivo locus esse pote-
rit. Puto etiam actiones ex interdictis huc pertinere,

e. g. ex Salviano interdicto, cuius utilitatem docet peculiari
Dissert. Dn. BERGER. De remedio ex L. ult. C. de Edict.
D. Hadrian. tol. agit id. Magn. Dn. BERG. in El. Proc. Exec.
§. 7. Idem docet & tunc huic nostro processui locum
non denegandum esse, si quis reale jus per Arrestum velit
consequi, Discept. Forens. Tit. 51. p. 1737. & seqq. Nec opus
plures commemorare.

XIX.

*De aesti-
matoria
actione
dubitatur.
it. ad Pa-
linodian.*

De aestimatoria actione injuriarum, eaque, quae ad pa-
linodianam tendit, dubitatum est. Etsi enim secundum Or-
dinat. Polit. d. anno 1661. §. 6. ad deprecationem, & declara-
tionem honoris summarie agitur, atque actor summarie de-
monstrare volens contumeliam sibi illatam audiendus est,
vel etiam petere potest recognitionem statim scripti, quo
injuria est comprehensa. B. SCHUVVEND. ad Pr. Fibig.
1494. aliud ramen celeberrimus hic vir cum schola Practi-
corum, ut fatentur Dni Lips. apud Magn. Dn. BERG. Diss.
Forens. tit. 1. p. 14. esse vult intuitu actionis recantatoria &
aestimatoria, dicto loco? ubi libellum summarie conceptum
tanquam ineptum rejiciendum esse monet. Atque hanc
ob causam instituta injuriarum actione aestimatoria inepite
peti recognitionem documenti affirmat etiam Magn. Dn.
RIVINUS ad tit. 5. O. P. tb. 15. Solet in hanc rem allega-
ri §. 7. d. tit. 5. Ord. Pol. ubi ita: Wolste aber der Beleidigte
lieber ad aestimationem, oder auf einen öffentlichen Wider-
ruff zu recht Palinodia genaunt ordentlich Klagen / so
bleibet es Ihm zwar unbenommen / jedoch soll alle Vor-
schleiffung und verzöggerliche Weitläufigkeit hierinne ganz-
lich abgeschnitten seyn. Ex qua constitutione usus foren-
sis infert, non posse summarie hac parte agi. Sed dubi-
tarunt de veritate hujus interpretationis usualis Dn. JCt.
Lipsh-

Lipsienses ipsi, ut ex literis eorum ad *Potentissimum Electorem* datis loco modo citatio satis constat: & quidem non, sine causa. Nam et si ex isto textu hoc quidem appareat 1.) actionem ad *palinodiam* & *æstimatoriam* sua natura esse ordinarias. 2.) arbitrio actoris esse relictum ordinarie agere hisce actionibus: non tamen etiam vetitum est in *hac Pol. Ord.* paulo post illas *Resolutiones* promulgata viam illam *summariam*, quam dictæ *resolutiones* commonstrant, positis terminis *habilibus* eligere, eaque uti. Quam viam, *summariam* in sequenti tit. 7. in causis *injuriarum*, ubi ad *palinodiam* agitur, si scilicet scripto vel registratura *Judiciali* *injuria* illata comprehensa sit, dilucide admittit. Ratione *æstimatoriae* illud objici posset, ex scripto, vel instrumentis *æstimationem* *injuriæ* demonstrari non posse. Sed parum officit; quandoquidem illa *æstimatio* ad officium *Judicis* pertinet, cui personæ litigantes notæ sunt, atque ejus arbitrio taxatio summae petitæ est *commissa* §. 9. J. d. *Injur. L. 9. C. unde Vi. L. 15. ff. d. Judic. authent. Jusjurand. C. d. Indic. Nov. 82. c. 10. CARPZ. Qu. 95. n. 9.* Quod arbitrium *jusjurandum* actoris sequitur dictis LL. quod quidem praxis, *Saxonica præsertim*, negligi solet, *CARPZ o. v. Pr. Crim. qu. 95. n. 8.* ita ut nec quidem *jurisjurandi* delatio a parte actoris hoc intuitu admittatur. *Dn. BERG. Decis. For. tit. 18. p. 510.* Quam secundum *jus commune* *præscissam* non esse puto, ita scilicet, ut liceat *jusjurandum* deferre super summa, quam *Judex æstimavit*; quod referre actori, reo integrum erit. Quod vero ad revocationem ad animum attinet, illa ex actione ipsa tempestive mota jam sat is appareret. Ceterum executive propter *injurias* agi posse illustris *Baro Lyncker cum ICtis Ienensisbus existimat Part. I. Decis. 364.* Nec caret specie illa sententia. Sed nescio

an non nimis dure hac parte cum reo agatur. Nam, cum in processu executivo omnis reo præscindatur defensio nisi instrumentis similibus instructus sit, quod hic raro contingit: condemnato ad *deprecationem vel palinodiam*, quid proderit reconventio? nam si semel ea præstiterit, factum infectum fieri nequit. Hinc & Dn. SCHVVENDEND. *Pr. Fibig. p. 1493.* recognitionem scripti contumeliosi nunquam sequi statim condemnationem, sed audiendum reum esse demonstratione exceptionum docet. Et quamvis ad estimationem condemnatus judicio reconventionis, quod solvit, recuperare possit: parum tamen consultum est tum publicæ rei, tum partibus hac ratione; quoniam duplice processu opus, ubi uno summario res potuisset expediri. Hodie apud nos hac disputatione supersedere possumus, postquam ex mandato *Regio & Elektor. d. Vindicta Privat. & Duellis coercend.* §. 6. omnes injuriarum causas, quam fieri potest, summarissime tractandas esse, satis notum est. Conf. Magnif. D. BERG. in *El. Proc. Exec. §. 7. Disc. For. tit. 1. p. 13.* Part. 2. Suppl. p. 3. Supplen. Proc. Ex. p. 96. Et laudari non satis potest institutum illustrissimi Regininis Dresdensis in Aula Regia atque electoral, quod, injuriarum causis ad se delatis, mox per rescriptum finem imponit atque hac ratione efficit, ut in summo Provocationum Senatu nullæ amplius, saltim paucissimæ id generis causæ dijudicandæ veniant.

XIX.

Constitu-
tio docu-
menta re-
quirit. Ut autem huic modo tractandi causas locus esse queat, præstruit Constitutio, *omnia facta per documenta de-*
monstrari posse, ita, ut non opus sit productione testium & illorum examine: Es könnten aber gleichwohl alle facta durch documenta beygebracht werden, also daß es keiner Zeugen-

Geugen-Verhör bedürfe. Quæ verba explicant egregie
 Responsum Lipsiensium Scab. apud SCHILTER. Exerc. 33.
 §. 13. Obwohl in denen Erledigungen derer Landesgebrüch.
 Tit. von Justiz-Sachen §. hätte aber zum gten &c. versehens
 daß auch actio hypothecaria contra tertii poss. vermittelst
 Summarischen Imploration &c. Dieweil aber dennoch
 solches nach klaren Innhalt angezogenes §. blosß von
 den Fall/ wenn alle facta durch documenta beybracht
 werden können/ zuwieschen/ die in der wider euch von
 den B. E. erhobenen Klage erhaltenen Facta aber/ wenn
 solche von euch verneint werden/ durch die producirt
 Documenta allerseits nicht zu erweisen/ sondern durch
 Zeugniß zum Theil beygebracht werden müssen. n. m.
 Innhalt. &c. So haben sich auch die B. E. dieses ange-
 zogenen §. wider euch nicht zu bedienen/ ihr seyd auch auf die
 wider euch erhobene Klage/ immassen anbracht/ euch einzuz-
 lassen nicht schuldig/ sondern sie werden ad Process. Ordinar.
 billig verwiesen/ gestalt ihr auch allenfalls/ und wenn
 gleich solche Summarische Imploration stattfende mit einer
 Gegen-Nothdurft und Summarischen Gegen-Beweß
 nichts desto weniger zugelassen/ und gehöret werden müs-
 set/ Alles B. A. W. Ex istis vero verbis constitutionis
 observari primum meretur, opus esse, ut *omnia facta* per
 documenta demonstrari possint. Et cum ille qui omne
 dicit nihil excludit L. 18. pr. ff. de legat. 3. consequens est *Quibus*
 nihil eorum & hic excludi, quæ in libello comprehensa. *facta o-*
 Sed tamen & hoc cum temperamento est intelligendum. *mnia de-*
 Pertinet enim *ad facta* quibus intentio actoris innititur: *possint.*
 ita nempe, ut si qua libellus contineat, quæ plane ad rem
 nihil faciant, quæve probata non relevant, non opus sit *Tempora-*
 ut propter ea documenta libello adjiciantur. L. 21. C. de *mentum.*
probat.

probat. quippe quod plane otiosum foret, quale quid Jus
 nostrum detestatur. L. 14. §. 1. ff. ut Legat. nomine caveatur.
 Longe tamen melius faciet actor, qui inania ista, allotria &
 otiosa haud inserit libello suo, atque hoc ipso inanes
 operas & lites evitat. Dn. RIVIN. Tit. 16. Enunc. 13. Praef. in
 Not. ad Introd. D. STRYK. C. 17. §. 4. & Praef. ad II. M. Tit.
 J. de Act. n. u. Non enim inficiari possum, esse quosdam,
 qui actorem ad probanda ea adstringunt, quæ asseruit in
 libello, vel ad illa omnia se adstrinxisse ipsum existimant.
 OBERECHT. de Concept. Lib. Cap. 16. num 2. Deinde pertinet
 illud ad facta de quibus Judici non constat; non vero ad
 facta vere notoria, quæ probanda non sunt, sed omnia pro-
 bationes efficaciora GAIL. I. Observ. 16. n. 7. Pacian. de Probat.
 Lib. I. Cap. II. n. 45. Hinc si e. c. invasionis Svecicæ nuperæ
 fiet mentio, non opus erit hujus rei probatione; quis
 enim hanc ignorare potest? Eadem ratione si possessio rei
 judicio notoria sit, non opus documento quo illa probe-
 tur. Ita censuit Senatus provocationum teste Dn. BER-
 GER. Suppl. P. II. p. 93. Sufficiet vero ad sustinendum
 hunc processum, si facta documentis statim demonstrari
 possint, quæ ad ipsam actionem pertinent. Si tamen id,
 quod expedit, respiciamus, opus etiam est ut actor solli-
 citus sit de instrumentis, quibus replicam, vel triplici-
 cam firmet, ut ex infra dicendis apparebit. Quam repli-
 cam vel triplicam si inserit libello, quod utique etiam
 fieri debet, si successum sperare vult actor, instrumentis
 etiam hac parte libellus debet esse instructus. Porro cum
 Non pro-
 bandum de factis loquatur Lex nostra, indicat simul, non opus esse
 per documenta probatione Juris constituti, quod Curia
 jus consi-
 tutum novit; atque adeo non est, quod actor ejus probatione de-
 sudet. L. 2. ff. de ignor. Jur. & facti. L. 16. C. de Prob. STRYK.
 d. Action.

d. Action. S. 2. M. 5. §. 15. Nisi fortasse in jure speciali vel personali constitutione, seu privilegio fundamentum intentionis quis ponat, quod utique probandum est ab eo, qui hoc genere processus uti cupit. Confer. Dn. MENCK. ad π. pag. 513. p. pr.

XX.

Itaque Constitutio illum repellit ab hoc modo agendi, qui vel in universum, vel ex parte probatione per testes mittitur defungi vult. Quoniam enim haec probandi ratio non probatio tam parata est & prompta, ac illa, quae sit per documenta, per testes. præsertim cum testes moras necesse possint, & subterfugere testimonium, BRUNNEM. ad L. 15. C. de fide instrum. num. 3. SCHILTER. Exercit. 3. §. 16. noluit actori illam indulgere Sereniss. Saxo, ubi brevior, quam summarius processus regularis, introducendus fuit. Quid ergo dicemus si Actor statim cum libello officerat rotulos, quibus depositio testium, facta probans, vel omnia, vel quædam contineatur; num admittendus actor est, & processus hic rite institutus haberi potest? Dn. SCHILTER. Exercitat. 13. §. 18. tradit, si testes coram Notario alio in judicio examinati, & instrumentum desuper confectum producatur, probationem hanc talem esse, ut pro instrumento, quo probatio in continentur, haberi possit, & eo exceptio in processu executivo quoque probari: atque in partes vocat BERLICH. & CARPOVIUM. Sed vereor, ne hoc naturæ processus executivi repugnet, quæ nil nisi instrumenta, quæ confessionem ipsius rei immediate comprehendant, admittit, atque ideo ESBACHIUS ad Part. I. Conf. 8. Def. 20. CARPOVII sententiam eatenus probat, quatenus testes admisis articulis brevibus & substantialibus, nec non interrogatoriis prævia judicis commissione jurato & rite

D

exa-

Affirmatur.

examinentur, & desuper intra præfinitum tempus instrumentum conficiatur. Sed nec video, quomodo instrumentum tale in Processu Executivo, qui omnes has moras respuit, consequi quis posit? Supponendum ergo foret jam antea in perpetuam rei memoriam, testimonium esse susceptum. Quicquid vero hujus sit, videtur defendere quem posse in hoc nostro processu audiendum esse actorem omnino, si libello suo jungat statim rotulos testimonia depositiones continentis. Etsi enim instrumento haud facile gaudere posfit, quo testimonia continentur citata & præsente parte admissisque interrogatoriis suscepta, dum reus conventus ante item motam & extra Judicium haud facile id admittit; ac testimonia in perpetuam rei memoriam actori regulariter denegentur. C. 5. X. ut liceat non confess. N. G. D. Tit. 27. nec tamen opus est etiam ejusmodi rotulis. Notum quippe est summarium Processum regularem haud respuere examina testimonia, rotulosque extra formam judicij, coram alio etiam judice, quam ubi lis pendet, suscepta, confessosque, nec opus esse citatione partis adversæ ejusque præsentia, dum juratur, nec interrogatoriis, ut plerique quidem volunt. BERGER. Discept. For. renf. Tit. 20. p. 657. 646. 1796.

XXI.

Confirmatur ulterius.

Quodsi ergo Actor in his rotulis fiduciam collocare velit, non video cur non & in hoc Processu audiendus sit, cum & nulla hic mora, quam productio & interrogatio testimonia alias nectere solet, metuenda. Et eo magis admittendus erit si in ius vocatus ipse illis rotulis aliquando adversus actorem usus, qui etiam adversus reum in ordinario Processu vim probandi habent. BERGER. Dis. Tit. 20. p. 659. Sed postquam Notariorum Publicorum fides magnam

gnam partem hodie minuta est, & extra possessorum sum-
mariissimum, in quo Decis. novissima l. eorum rotulus admit-
tit, usus fori eosdem respuere solet, caveat actor, ne his in-
strumentis fidat, sed potius curet, ut rotulis judicialibus
instruatur. Dn. BERGER. d. l. p. 657. Forte in dubium vocari
posita ista sententia nostra ideo, quod secundum prefen-
tem faciem praeceos, quæ sane subinde, æque ac vestitus *Removen-*
mutatur, solennis habeatur aberratio, si quis rotulorum tur dubie.
recognitionem petat, vel adversarium, ut eos recognoscatur,
adigere velit: quam ejusmodi rotuli non subeant locum
instrumentorum, quæ sola sunt recognoscenda, & potius
die *Einlassung* / & ut super iis disputetur exigi debeat.
Quorū etiam collineat recognita ordinatio judicialis.
Tit. 20. apud Dn. BERGER. in Disc. pag. 658. Sed non patior
me iis moveri. Quousque enim nulla Lex Authentia
constans istam prohibet, nescio, an petitio recognitionis
illa adeo inepta sit? Nam & rotuli isti sive a Judice quo-
dam, sive a Notario publico profecti, instrumenta & qui-
dem publica sunt, sive scriptura ad rerum gestarum fidem,
ab eo, qui publica autoritate pollet, factæ. Cur ergo in
illos non cadat recognitio? Qua sane apud nos, ubi publi-
ca instrumenta etiam recognoscenda, opus esse, haud male
dixeris ratione ejusmodi extra formam judicij non citata
parte confectorum rotulorum, ut agnoscat ille, adversus
quem producili, talia esse, suaque forma, quæ fidem faciat,
constare. Et profecto, si acta superiorum temporum evol-
vamus, videbimus tunc de hac re non dubitatum esse.
Quo ipso tamen non negaverim, super contentis horum
instrumentorum, postea disputari posse, & disputandum
esse. Ipsa etiam hæc nostra Constitutio vult, permittit
que, ut una cum recognitione die *Einlassung* und Ant-

wort petatur. Atque sic utrumque ratione horum rotulorum fieri potest. Quodsi & maxime supponamus nullam hic posse peti, nec debere fieri recognitionem, in Processu tamen nostro iis nihilominus locus erit, & sola sufficiet die Antwort oder Einlassung. Quid enim adeo opus recognitione, si probatio jam omnis ab actore peracta talis sit, quae absque recognitione perfecta haberi potest? Dum vero his sum intentus, nova dubitatio animum subit, ea scilicet quod haec ratione semper in potestate sit agentis ordinarium commutare in summarium invito reo, atque sic penitus regula evertatur, quam tradidimus supra §. XI. Fateor ita esse, si testes sint actori, quorum juratam depositionem statim exhibere potest. Sed non puto id adversari menti Llatoris, qui omnibus modis studuit locum facere summario processui. Nec adeo queri potest reus de admissione istorum rotulorum, cum & similibus utiliceat. Et si forte commodi quid decedat reo ex eo, quod non pleno processu ordinario licet circa testimonia agere causam; incommodum tamen hoc pensabit istud, quod electo nostro procedendi genere ab actore, huic nulla occasio sit amplius exceptiones vel duplicas rei elidendi.

XXII.

*An iuramento ju-
diciali lo-
cuscus.*

Proximum est, ut videamus, an audiendus sit actor, si jusjurandum deferat absque instrumentis, vel instrumentis jungere velit delationem jurisjurandi. In processu summario regulari probationem per jurisjurandi delationem locum habere æque ac per testes & instrumenta nemo temere dubitabit a. L. 25. §. 3. ff. de probat. atque illa tum seorsim tum conjunctum possumus uti, Dn. BERGER. in Elec. Tit. 5. p. 129. Noster vero processus qui instrumenta præcisè presupponit illam respuit, & quidem etiam tunc, si super certis

certis capiibus saltim jusjurandum deferatur Dn. BERG.
d. l. Dn. RIVIN. Tit. 5, Enunc. 22. Nam & haec probandi
ratio non aequa prompta habetur, ac probatio per docu-
menta SCHILTER. dicta Exercit. 13, Tb. 18. Quod si tamen
instrumenta ad manus sint, ex quibus constet, actorem sibi
deberi, reo deferente, jurasse, nullus dubito, quin his uti
possit Actor: quae & pro re nata proderunt in processu
executivo. a. §. II. J. d. Act.

XXIII.

Postquam vero sic opus est instrumentis, quibus o-
mnia facta demonstrari possunt, quibus sententia Actoris
innitur, dubitatio nascitur, quid differat hac parte Pro- Differen-
cessus noster a Processu Executivo? cum & hic instrumenta tia Proces-
exigat, quibus robur accipiant ea, quae in judicium dedu- sus Execu-
cta. Movit hoc dubium & tollit Magnif. Dn. Ord. noster trivi & no-
in Elect. Process. Execut. Tb. 9. & Disc. For. Tü. 16. O. 1. p. 461. stri Pro-
Ego vero, qui hoc argumentum ex instituto tractandum ccessus ra-
mihi sumsi, latius quodammodo excutiam, via tamen tione in-
commonstrata mihi, insistens. Scilicet si de Executivo brumen-
Processu quæstio est, instrumentis opus ex quibus con- torum.
fessio rei ipius vel ejus, quem representat, ut heres, li-
quido & manifesto appareat, atque in illa confessione id
omne contineatur, quod est in intentione Actoris, ita ut
ex hac confessione rei, vel ejus, quem reus representat, in
reum confessum facta recognitione executio statim de-
cerni possit, nec propriet istam confessionem, quæ fortissi-
mam præsumptionem secum fert, quicquam admittatur,
nisi quod pari confessione innitur actoris. Et hoc est
quod noster textus in ore habet, quando de instrumentis
Gvarentigiatis ad executionem aptis agit: Hätte aber zum
Sten ein Kläger nicht solche Documenta in Händen, dar-

auf alsbald parata Executio post factam recognitionem angustellen. E contrario in nostro Processu documenta sufficiunt, ubi quidem vel confessio rei, vel illius, quem reus repräsentat, ratione factorum propositorum in libello continetur, sed tamen non adeo cerra & liquida; vel ubi confessio rei vel ejus, quem hic repräsentat, plane non adest, factum tamen quod in jus deducitur, continetur. Quæ instrumenta quidem præsumtione veritatis muninuntur, juxta §. u. *Instit. de iuuiil. stipul.* sed tamen non adeo forti, ut statim adversus reum ex illis executio decerniqueat; verum audiendus sit exceptiones allegans adversus illa instrumenta, licet etiam non statim fortissimas habeat, quibus fortissimam præsumptionem pro instrumentis Gvarentigialis elidere possit. Ut adeo cognitione aliqua causæ opus sit super themate, quod in altiori indagine propter oppositas a reo exceptiones consistit. Apte hoc exprimit Constitutio nostra, verbis: Sondern es stunde die erhobene Klage in altiore indagine, und erforderne causæ cognitionem. Imo quod maximopere notandum, & instrumenta sufficiunt in Processu nostro quibus intentio actoris semiplene saltim probari potest: nihil enim habet textus noster, ex quo necessario sequatur, præcise plenam probationem ad fundandum hunc Processum requiri.

XXIV.

Exempla.

Res exemplis clarior fiet. Ad instrumentum Executivo Processui aptum id requiritur inter alia, ut sit *clarum* (l.) ratione *subjecti*, ut nempe certissimi simus confessionem in eo factam esse ab eo, ex cuius confessione Actor agit. Hinc ad hunc Processum fundandum non sufficit instrumentum alterius manu scriptum, a reo tamen non subscri-

subscriptum, sigillo vero illius munirum; quoniam dubitari potest an voluntate illius sigillum appositum sit, quæ appositi inscio illo facile a tertio fieri potest. ESBACH. ad CARPZOV. Part. I. Conf. 17. def. 21. Dn. BERGER. Elect. Process. Exec. §. 20. In quam sententiam Ordo Juridicus Wütebergens. Mens. Octobr. 1706. respondit. Quamvis COLER. de Process. Execut. dissentiat Part. III. Cap. 1. n. 102. Sed cum tamen falsum præsumendum etiam non sit, & sic pro instrumento hoc quoque præsumtio quædam militet, licet non tam fortis, ac' pro eo quod subscriptione munitur, nullus dubito quin in hoc nostro summario inveniat locum. Confer. CARPZOV. & BERGER. d. l. Ex iisdem principiis consequitur, ex libris mercatorum executive agi non posse: quia tamen usus fori & consuetudo illis tribuit semiplenam probationem, ut notissimum est; apti sunt utique ad nostram procedendi rationem. Dn. BERGER. P. II. Suppl. Tit. 25. p. 539. & in additam ad Tit. 30. p. 1972. & Disc. For. Tit. 30. pag. 821. ubi illud speciatim monet, illam semiplenam probationem etiam ad accessoria e. c. fidejussiones pertinere, & eo quoque casu nihil interesse, sive merces e taberna ab ipso debitore coëmpta, an per ministrum vel opificem v. g. sartorem, quod ultimum tamen praxis per tempus ita admisit, & temperavit, modo aliunde constet vel debitor fassus, solitum eum fuisse earum personarum opera & ministerio in coemendis uti mercibus: quæ consuetudo vel ex unico actu præsumi potest. BERGER. d. l. ult. Itaque si libello præter libros mercatorios narrantes merces a famulo vel sartore fuisse coemtas, non adjiciatur instrumentum aliud, ex quo appareat vel voluntate debitoris expressa vel tacita id factum esse, libellus ille tanquam ineptus rejicendus:

Libri Mercatorum.

dus: quale præjudicium ex consilio æstivo 1681. summi Senatus profert Dn. BERGER. P. II. Suppl. p. 1972. Quamvis si admissus fuerit, & reus confessus, semel ista opera esse usum, condemnatio etiam ex libro mercatorio juramento firmato facta, vel si & hoc negaverit reus, suppletorum vel purgatorium juramentum decretum fuerit. Dn. BERGER. Diss. Tit. 36. p. 822. Nunc vero postquam Mens. Decembr. 1708. mandatum promulgatum est a Potentiss. REGE & ELECTORE quod exhibit Dn. BERG. Part. II. Suppl. p. 1971. res caret dubio, libros mercatorios juramento licet firmatos adversus reum plane non probare, si in illis scriptum, daß durch Dieter/ Magde/ Schneider oder andere Personen etwas auf die Herren und Frauen bey einen Kauff- und Handels-Manne abgefolget worden; atque ex illis libris: Dass derjenige so in eines andern Nahmen etwas abgehölet / darzu Befehl gehabt / doceri non posse. Relinquitur autem facultas actori, Auf and're Art darzuthun/ daß der / auf welchen die Wahren geholet selbige auch würtchlich empfangen / und zu seinen Gebrauch angewendet. Si ergo talibus instructus actor, et si non Gvarentigiatis poterit nostro Processu uti; sin minus, nec locus erit Processui nostro. Executivo tamen locus etiam erit, si juxta monitum mandati istius, postquam de pretio conventum, chirographum vel syllabus mercium, den Auszug/ subscriptum ab emtore sibi tradi curaverit mercator.

XXV.

Porro (2) clarum debet esse in personalibus actionibus ratione causæ debendi remota, ac specialissimæ instrumentum Gvarentigiatum. Dn. BERGER. Elec. Process. Execut. §. 9. 10. Dn. PRÆSID. Dissertat. de causa petendi in Bello Tb. 9. In hoc Processu autem admitti potest instrumen-

mentum quod *indiscretae* loquitur, & vel nullam causam, vel saltem non specialissimam exprimit; tale enim instrumentum saltim semiplenam probationem facit *a. L.S.* ibi, si non alioque *adminiculis adjuvetur*. *C. de Probat.* BARBOSA *ad C. 14. X. de fide instrum. n. 2.* BERLICH. *Dec. 96.* n. 2. (3) *Clarum esse* debet, eo intuitu, quod creditor debitorve in eo, & quidem perspicue, si nominatus: quod omne in hoc Processu haud requiritur Dn. BERGER. *d. I. tb. 10.* dummodo, quæ desunt aliis documentis, licet non Gvarentigatis, suppleri possint. *vid. §. seq.* Deinde instrumentum Gvarentigiatum debet esse purum, atque sic, quod diem & conditionem continet, *executivo* aptum haud est; nisi alio instrumento pariter Gvarentigato in conti- nenti probari possit adventus diei aut conditionis existen- tia. In nostro vero Processu agens haud repellitur, instru- mentum exhibens, diem vel conditionem quod continet, modo aliis instrumentis, licet non Gvarentigatis, demon- strari queat existentiaq. *vid. tb. 10. §. 12. 13.*

XXVI.

Eamus per species quasdam actionum. Et quidem *actio hy-*
1) *hypothecariam* sistamus, de qua primo loco & supra a. *potbeca-*
ctum est. Fac itaque actorem esse instructum instrumen- *tum.*
to, quo debitor ejus *Titius* fassus est, se pignus constitu-
isse Sempronio, nunc agere volenti; ex hoc instrumento
adversus Titium, ejusve heredem, si modo posideant,
executive hypothecaria actione agi posse nil vetat, & qui-
dem sola, vel juncta simul personali actione. Dn. BERGER.
Part. II. Suppl. in Additam. ad Tit. 25. p. 1966. it. de Process.
Execut. §. 6, licet de consensu judiciali non constet, si res
immobilis maxime, *M. G. O. Tit. 46. §.* Aber unbeweg-
liche. Et licet alias hypothecaria actione agenti proba-
tio

tio injungi soleat, rem specialiter obligatam, in bonis debitoris fuisse eo tempore, quo oppignoraretur, aut si hypotheca sit generalis, vel de rebus futuris quibusdam concepta, rem, quam persequitur, in bonis esse cœpisse debitoris *L. i. 3. 15. §. 1. ff. de pignor. & hypoth.* non tamen opus est hac probatione, si adversus ipsum debitorem, vel ejus heredem agatur, qui facto oppignorationis proprio improbe resisteret, propriamque turpitudinem allegaret, si rem alterius juris obligasse se diceret, *L. 41. in fin. ff. de pignor. action.*; ut adeo adversus ipsum cum effectu agi possit, licet in instrumento diserte non contineatur, tempore cœptæ obligationis rem in bonis debitoris fuisse, vel esse postea cœpisse. Aliter vero hæc omnia se habent, si cum tertio possessore agatur, qui non nominatus est in instrumento & adversus quem non militant ea, quæ diximus: ut adeo presumtio veritatis, qua instrumento inest, non tam fortis sit, ut statim executionem contra reum operetur, sed discussione quadam prolixiori opus, qua & rei exceptio liquida fieri posit. Interim tamen adversus hunc ex instrumento isto secundum rationem nostræ Constitutionis agi poterit per dicta supra *Tb. XXIII. seq.* modo tamen, si rem immobilem persequatur actor, instrumentum super consensu judiciali confectum, simul producat. *BERGER. Elecȝ. Process. Execut. §. 6.* Imo stude-re etiam debet actor, ut documenta jungat, quæ repellant exceptionem excusionis, quæ agenti obstat, sive hypotheca generalis sit, sive specialis. *Nov. 4. Cap. 1. & 2. FRANZK. Lib. 1. Resol. 12. D. N. BERGER Resol. LAUTERBACH. Tit. de pignor. qu. 2. D. N. PPÆSES in usu moderno Tit. Inȝ. de Action. §. 7. n. 2. quamvis ad fundandum processum his non præcise opus.*

XXVII.

XXVII.

Aliud exemplum præbeat rei vindicatio. Pone Ti-
tium accepisse instrumentum a Cajo, in quo Cajus confes-
sus est transtulisse se dominium fundi Tusculani in Cajum;
vel Cajum dominum esse fundi ejus. Ex hoc instrumen-
to adversus Titium agi posse, haud decet dubitare, licet
etiam causa specialis, ex qua dominus Cajus factus, expre-
sa non sit, vel ex instrumento non appareat, quos autores
habeat Titius, & an illi domini fuerint: nam nec in libel-
lo vindicatorio causam petendi remotam in libello exprimere
opus est, licet utile sit L. 14. §. 2. ff. de except. rei judic.
D. N. PRÆSES in Differt. de causa petendi in libello §. 21. 22.
seq. nec reus adversus confessionem propriam, factum-
que suum agere venireque potest. E contrario adversus
tertium, si agere velit Cajus, instrumentum illud haud
poterit hoc effectu gaudere, ut ex confessione alterius
auferenda sit possessio. Sed non tamen plane rejicien-
dum est ab hoc nostro processu, in quo, pro re nata, ac-
cedentibus adminiculis ex aliis documentis petitis, inten-
zioni actoris utique potest inservire a. l. 5. C. de Prabat.

XXVIII.

Atque hæc non tantum locum inveniunt, si quæstio Possessio
est de eo capite realium istarum actionum, quod respicit an instru-
jus actoris; sed etiam de eo, quod ad possessionem rei mentis
attinet: qua si negetur, semper ab actore probanda est. probari
Poterit vero & possessio rei instrumentis probari. Dd. ad. queat?
L. 17. C. de probat. D. N. BERGER. Elect. Process. Possess. Th. 30.
tum in nostro, tum in Executivo processu e. c. Si cata-
strum publicum, legitime confessum, producatur, ex quo
sc. appareat, reum professum esse, se posidere fundum,
vel fassus est, propter fundum, tanquam possessorum cen-

sum, tributa &c. præstissee : instrumentum hocce publicum satis probare in continenti poterit possessionem. *Virgin. de BOCACIIS de interdicto uti possidetis Cap. 14. n. 12.* Nam etsi mutatio allegetur, non tamen haec præsumitur, donec liquido pari ratione probetur, vel appareat notorie, reum non possidere. Et huc pertinent etiam illæ profesiones, quæ dum census secundum æs & libram die Vermogen Steuer præstatur, exhibenda sunt, ubi quis profitetur, se hunc vel istum fundum possidere. Ex qualibet instrumento, uti & specificatione, quam ille, qui res alienas occupavit, vel administravit, edidit, maxime si jurata est, in continenti & liquido probari potest, ipsum possidere. Idem dicendum, si sententia vel decretum producatur, ex quo appareat, reum in possessorio obtinuisse : vel instrumentum factum super immissione in possessionem, auctoritate Judicis MENOCH. rem. 3. ret. poss. n. 575. D. BERGER. Prot. Poss. §. 30. Atque haec instrumenta multo magis in nostro processu usum præbere, certissimum est. Præstabunt tamen etiam alia, quæ non tam fortia sunt. Finge catastrum produci in quod prædia relata sunt, ac ibidem nomen Titii reperiri; non tamen addi, ipsum professum esse possessionem, vel ipsum tanquam possessorem præstanta præstissee. Liber hic censualis presumptione quidem quædam est munitus, sed tamen hoc casu non ranta est, ut demonstrare volens testibus &c. se non possidere, audiendus non sit, quia de propria illius confessione liquido non constat. Ergo nihil proderit in processu executivo; proderit tamen in nostro. Idem est, si offerantur libri publici ex Curia Feudali, vel ex tabulario Magistratus desumti, quibus continetur Titium investitum esse de Feudo, vel de re quadam allodiali. Ex hisce libris quidem liqui-

liquido statim non constat, & possidere quoque reapse investitum istud prædium; atque adeo haud sufficit processui Executivo ejus generis instrumentum: quia tamen presumptio inde nascitur, quod investitus non neglexerit possessionem, etiam actualem, consequi, utique libri istius in nostro Processui præbunt insignem. Confer. Dn. BERGER. Part. II. Suppl. Tit. 5. p. 93. & Elect. Pro-
cess. poss. §. 30. Dn. PRÆSES Jpr. Feud. c. 9. §. 31. p. 270.

Quatuor etatis, in his quodam XXIX.

Idem plane dicendum est, si solliciti simus de eo generi realis actionis, quo rem incorporalem persequimur. Si itaque instrumento Titius confessus, se non tantum promisit, sed etiam constituisse servitutem, similique ex instrumento, turbatio, quæ hoc loco quasi occupatio & possessio a parte rei videatur, BACHOV. & LUDVVELL. ad §. 2, Inst. de Action. appareat; non video, cur actio confessoria non posset executive tractari. Atque hoc pertinent libri censuales, Die Erb- Register rite confecti, ex quibus appetit subditos jurato factos esse, se has vel istas præstationes debere. CARPOV. L. I. R. 62. seq. E contrario, si testamentum adsit, quo servitus legata, quæ hoc casu ipso Jure constituta dicitur §. 1. Inst. de Usfr. §. 2. Inst. de Action. & in continentि liquido non appareat simul, testamentum aditione vim accepisse, locus haud erit executivo processui: usum tamen præbabit testamentum tale in sumario nostro. Idem dicendum, si liber iste censualis aliquo vitio forte laboret. Conf. Dn. MENCK. ad ff. p. m. 324. Si cui a Principe jus prohibendi quoddam est concessum per privilegium, ex hoc executive agi, nequit adversus eum in cuius præjudicium datum est, nisi manifesto & liquido appareat, ipsum satis esse auditum: non tamen

nostro processui instrumentum tale adversatur, ex quo magna præsumtio est, non nisi auditis sufficienter, illis quorum interest, privilegium datum esse, et si probationem contrariam paulo laxiorem admittat.

XXX.

*Petitio
heredit.*

*Famil.
erclig.*

*Rem. ex L.
f. C. de
Ed. D.
Had. toll.*

Quod ad petitionem hereditatis attinet, illa sine dubio ordinaria est. Quod si tamen actor tabulas habeat, in quibus confessus ille, adversus quem agitur, actorem defuncti Titii heredem esse, vel coheredem, reus nunc vero id neget, agi executivæ cæteris paribus poterit, *totah & partiali hereditatis petitione*, æque ac *judicio familie ercligunde*, quod alias quoque ordinarium est. Multo magis vero poterit experiri interdicto *quorum bonorum executixe*: quod & alias summarium, ut notum, est judicium. Sed quid dicemus de testamento omni visibili viatio carente, an etiam illud executivo processui est aptum?

Notum est quid de via executiva, quam testamentum tale ostendit, Dd. passim tradunt, & latissime MENOCH. *remedio adipiscendæ possessionis IV.* quod scilicet, qui in testamento talis scriptus heres, vel instrumentum in manibus habet super testamento nuncupativo factum, in quo institutus est, in possessionem omnium honorum hereditariorum mittendus sit a judice, nulla alia probatione accidente. Et si quidem vacua est possessio, nulla probatione opus, aliquem possidere. Constatre debet tamen de morte ejus in cuius hereditatem immisso petitur, cum viventis nulla sit hereditas. *L. I. ff. de hered. vel action. vend.* de qua morte *notorie* constat, si ipse judex testamentum ex quo immisso petitur, publicavit, quod non factum, esse præsumendum, nisi de morte constitisset. *Quod si autem aliunde testamentum consecutus, quam a judice isto*

isto, nec notoria alias mors : utique de morte aliter constare debet. Ubi quidem, si possessio , sicut dixi, vacua vel nemo adsit, qui contradicat, sufficit, si utcunqve mors illa demonstretur. Quodsi autem reperiatur jam qvis in possessione contradicitor, vel etiam adsit, qui, nondum possidens, refrageatur immisioni, ideo forte, quod testamentum nullum dicat, vel inofficium, vel heredem incapacem, se vero esse legitimum, vel ex testamento alio institutum affimet ; nec tum opus erit probatione possessionis, vel mortis rei: quandoquidem ille, qui heredem se dicit, & ideo vel occupavit bona, vel vult immitti, non potest non fateri mortem ; & qui tanquam possessor contradicit, non potest non pro possessore se gerere, pro quo, si se non gerit, possessio ratione ipsius vacua habenda est. Aestimabit ergo judux qvis potior, ex his duobus, immisionem petens, vel contradicens sit, intentionemque in continentis testamento, vitio visibili carente, eoque extremo, posit demonstrare, cumqve vel immitet, vel tuebitur in possessione : alterius vero jus ad aliud judicium remittet. S I C H A R D . ad dict.
L. fin. C. de Ed. D. Hadr. voll. S T R U V . Exerc. 45. Th. 23. Et haec ratio executive procedendi ex ipso jure est Romano, nec opus hic ad nostrum processum summarium confugere ; quo tamen, si quis velit uti adversus contradictem, nihil est quod impedit. Qvod si autem ille adversus quem agitur, rem detinet, neget tamen rem hereditariam esse, sed legitimo modo rem acquisivisse & possidere se dicat. e. c. ex tit. emti &c. qualis legitimus contradicitor a Dd. dicitur, adversus illum ista via executiva cessat, d. L. fin. v. non autem legitimo modo detinetur, cum & hereditatis petitio adversus illos non detur, qvi titulo valido rem possident. L. 7. C. & L. u. de petit. hered. non cessabit tamen haec nostra.

nostra. Etsi testamentum forte tale non sit, quod omni vitio visibili careat, non tamē ideo statim plane est nullius momenti, dum, vitium illud nihil obesse, aliunde constat; hinc & testamentum tale processui nostro summario, accedentibus aliis adminiculis, locum faciet. Pertinet huc, quod docet CARPZ. P. IH. Conf. 3. def. 38. processum super examinatione testium propter testamentum nuncupativum esse summarium, vel quod eodem regidit, causam testamenti nuncupativi summariter tractari posse; atque adeo illos testes, extra formam processus, absque exhibitione interrogatoriorum, aliisque solemnis, coram iudece, juramento mediante, examinari posse juxta ROL. a VALLE Lib. I. Conf. 36. num. 10. Secundum quam sententiam in causa Abrah. Gottfr. Voglers und Consorten contra Johannem Eliesabeth Herrmannin a Senatu Dresdensi transmissa, ubi de testamento militari quidem quæstio erat, secuta est Mens. Decembr. 1705. & Mens. Mart. 1706, Facultas Wittenbergensis. Etsi autem ista sententia non omnibus arridet, nec fortasse ex jure communī probari potest, hereditatis petitionem, ex testamento nuncupativo si fiat, non ordinariam, sed summariam esse ESBACH. ad d. l. CARPOVII, Dn. BERGER. Dis. Tit. 2. p. 68. ex illis tamen, quæ hoc usque differimus, concludere licebit, ejusmodi rotulum extrajudiciale ad nostrum processum summarium satis idoneum esse.

XXXI.

*Personas-
les Actio-
nes.* Ex personalibus actionibus varia exempla dari possunt. Si Caius confessus mutuum, adversus illum, ex chirorgrapho ejus executive, sine dubio, agi potest condicione certi ex mutuo. Quodsi autem rem quandam forte vendat, hac lege, ut ex pretio emtor solvat, id, quod debet cre-

creditori suo Titio vendens, emtorque hoc in se recipiat,
 quæstio est: an aduersus hunc emtorem Sejum executive
 Titius agere queat? Et sane ex chirographo Caji Titio dato
 a Titio aduersus emtorem Sejum executive agi posse, omni-
 no negandum est: quia hic non nominatus est in eo.
 Quod si famen instrumentum contractus emtionis & ven-
 ditionis accedat, in quo emitor obligationem vendoris
 in se recepit, agi etiam posse aduersus emtorem ex nostro
 §. 8. recte docet Dn. RIVIN, Tit. 5, Enunc. 34. Sed an non
 etiam ex instrumento contractus illius executive adver-
 sus emtorem agi poterit? Sane si 1.) ex instrumento isto
 contractus liquido appareat, quid, quale, & quantum, debea-
 tur Titio, idque pure deberi, atque simpliciter emtorem id
 in se recepisse; 2.) Titius ipse simul fassus, testatusque,
 sibi placere istam conventionem, vel factam esse delega-
 tionem, res meo judicio dubio caret, executivo locum esse
 concedendum. Quodsi ex illis, quæ priori loco posita, quid
 deficiat, non poterit esse procedendi ratio executiva: po-
 terit tamen instrumentum illud in summario nostro pro-
 cessu utique prodeesse. Alterum si deficiat, si nempe non ap-
 pearat creditorem Tiriū consensum suum isti negotio ac-
 commodasse, vel conditionem ab emtore oblatam acce-
 ptaſſe, nihil id nocebit, nec executivo processui, multo minus
 summario nostro: postquam nostris moribus juxta simplici-
 tatem naturalem, receprum, tertio etiam ex pacto nostro a-
 ctionem posse acquiri. M. v. P. IV. Dec. 112. Illustr. S TRYK.
 de Caut. Sect. 2, c. 5. §. 3. & 4. M. de pact. §. 12. Confer. FERBER.
 Diff. inaugur. d. Stipulat. tert. fact. th. 54. Nec de accepta-
 tione ejus dubitandum est: dum, qui ex eo agit, eo ipso
 profitetur, acceptasse se hocce jus sibi delatum; quod
 multo magis locum inveniet, si cum quibusdam suppona-

mus, pacientes a conventione recedere non posse, invito illo, in eius favorem pacti sunt, licet hic, quod placeat sibi pactum, nondum verbis, vel factis, sit testatus. Quæ quidem sententia mihi dubia videtur. Quoniam enim in-vito nihil acquiri potest; nec censetur etiam, acquisitum ei, qui voluntatem nondum declaravit. Itaque stat penes pacientes, utrum persistere in ea voluntate velint, nec ne, cum recedentes ab ea nullius jus lèdant. Quod si vero conventus emtor, ex hac sua pactione excipiat, recessisse illos, ab isto placito, antequam actio mota, res hæc al-tioris indaginis est, & nisi in continentis probetur, nec executivus cessabit. Plura non opus conglomerare: pos-sunt tamen hoc trahi illi casus, ubi creditor adversus de-bitoris debitorem sine cessione agere potest, Tit. C. quando Fiscus vel privatus debitoris debitores conveniri pos-sit vel debent: L. 4. C. que res pign. oblig. L. 7. C. de hered. act. vend. L. 18. pr. ff. de pignor. action. Quibus omnibus, ex chirographo debitoris, adversus hujus debitorem, execu-tive agi non potest; poterit tamen agi summarie ex §. nostro Dn. BORNIISS Dissertation. de actione quæ cred. adversus debitorem debitoris competit. §. 23.

*An perito-
rium in
nostro
processu
tractari
possit, si id
remissum
est zur or-
denlichen
Ausfüh-
rung?*

Mentio hic facienda est illius controversiae, quæ ambiguis fatis agitata est coram Praefectura Witteber-gensi, cui hæc res decidenda a Principe commissa, inter Collegium Pistorum Schmidebergense, & Pistores paganos vicinos, die umliegende Platzbecker. Causa primum pos-sessorii acta, atque in Facultate Lipsiensi Mense Sept. 1695. hæc sententia conscripta, & post publicata erat: Dass esst zur or-
denlichen Beklagte wie auch mit Beklagten Principal, des Brod-
backens auf den Kauff sich zu enthalten nicht schuldig / son-

sondern Sie werden bey der posses vel quasi desselben/ so
 lange bis Klägere ein anders ordentlicher Weise ausgeführ-
 ret/ billich geschützt. Possessorio sic per rem judicatam
 finito Collegium pistorum Schmiedebergensium ad peti-
 torium convolabat, eligebatque viam §. nostri 8., exhibens
 unacum supplica, præter exemplaria Ordinationum Pro-
 vincialium, quas pro se allegabat, privilegia, eorumque
 confirmationes, ordini huic concessa, istorumque petebat
 recognitionem. Objiciebant rei exceptionem non rite
 formati processus, quod sententia possessorii diserte ad pro-
 cessum ordinarium actores remisisset: obstari itaque aje-
 bant, auctoritatem rei judicatæ, quo minus actores ad
 summarium hocce procedendi modum ex §. 8. dilabi que-
 ant. Hi vero reponebant, verbo, ordentlich/ non id innui,
 quasi præcise causa ratione modi procedendi in petitorio or-
 dinarie tractari debeat; sed opponi illud saltem posses-
 sorio, eo sc. sensu: ut justitiam petitorii, finito nunc pos-
 sessorio, liceat tueri. Scabinatus Lipsiensis pro reo in hæc
 verba sententiam dixit, publicatam 24. Mart. 1697. Die
 Klage aber hat angebrachter massen/ gestalten Sachen nach/
 nicht statt. Interposita leuteratione Facultas Witteber-
 gens. ita pronunciavit: Numnehero ic. Dass Beklagter
 und Mitbeklagter auf die erhobene Klage sich einzulassen
 und zu antworten/ so wohl die Documenta sub A. B. &c.
 wenn solche in Originali anderweit vorgelegt werden/ sub
 pena recogniti zu recognoscire schuldig ic. quæ senten-
 tia 27. Sept. 1697. partibus prælecta est. Cum vero a
 parte reorum Leuteratio interponeretur, Facultas Lipsiensis
 proximam sententiam reformabat, & illam confirmabat,
 quæ a Scabinis Lipsiensibus dicta. Sed iterum, actoribus
 utentibus beneficio Leuterationis, Scabini Wittebergenses

*Rejicitur
formula
in posses-
soriis :
Vib⁹ ein
anders
ordent-
lich aus-
geführt.*

illam, quæ a Facultate Wittebergensi concepta erat, probabant. Atque hæc Wittebergensium, deserta reorum appellatione, tandem vires rei judicatae accepit.

Ex hac historia litis patet, haud bene actum esse cum reforensi, quod loco formulae olim sveræ in judiciis possessoriis: Vib⁹ Kläger vel Beklagter in possessorio ordinario, oder petitorio, vel si jam in ordinario possessorio actuum est: Vib⁹ Kläger vel Beklagter in petitorio ein anders ausgeführt/ jam ab aliquor annis in quibusdam Collegiis hac uti exceptum est: Vib⁹ Kläger ein anders ordentlich ausgeführt. Traxere enim Advocati eo hanc formulam, quasi non licet in possessorio ordinario, & petitorio, processu summario uti, licet alioquin natura negotii, vel etiam lex, summarium præcessum admittat. Cujus rei nobile exemplum dicta causa præbet. Atque adeo rectius pristina formula retinetur: quod apud Wittebergenses fieri didici jamdudum ex Dn. PRÆSTDIS Usu Moderno Tit. I. de interd. §. 20, aliisque ejus practicis commentationibus. Et sane cum iudicis non sit, adigere partes ad ordinarium processum, si causa summarium admittat; non credibile etiam est, iudicantium, qui hac formula usi, eam mentem fuisse, quæ a jure constituto recedat. Existimandum itaque est, vocem istam ordentlich possessorio summiſimo saltim, vel utriusque judicio possessorio, oppositam esse; & possessoriū ordinariū, & petitoriuī, vel petitoriuī solum, ea, sine respectu ad modum procedendi, contineri. Plane ordinatio Judicialis recognita, formulam istam novam, damnat Tit. 5. apud Dn. BERGER. Disc. For. p. 144.

XXXIV.

meny, cinamorlini 213 XXXIV.

bou Antequam instrumenta, quibus instructus debet esse actor, linquamus, illud, non possum etiam, quin moneam: actorem hac ratione uti volentem, originalibus etiam instrumentis instructum esse debere, quo scilicet illa in *An editio* termino statim produci possint: neque enim hic locus est *instru-*
petitioni editionis, ubi sc. alias quidem eam a reo exigere *mentorum* potest actor, quandoquidem hæc moras necit, ut judi- *peti pos-*
catum reperioa Dns. Scabinis Lipsiensibus apud Magnif. *sit?*

Dn. REVIN. Tit. 5. Enunc. 34. Sed quia ibidem ratio hæc ponitur, quod documentorum editio tantum in processu ordinario, dum probationibus defungimur, locum habeat, hæc autem assertio vix lege aut usu innititur: non diffiteor dubiam istam decisionem videri posse. Nam etsi hoc certissimum, & tyronibus in foro notum, ad executivum processum aditum non patere illi, qui editionem documenti ex quo agere vult, adhuc petit: notissimum tamen etiam & omnibus est, summarium processum regularem, ubi demonstrationibus utendum est, petitionem istam non respire: nec enim nec lex, nec usus, aliud docet. Dn. BERGER. Elect. Proces. Execut. Th. 45. Atque sic videatur idem dicendum esse, in nostro processu irregulari sumario, quo usque aliud constitutum esse non appetet. Ast vero, quicquid horum sit, dissimulare non possum, priorem sententiam menti Legislatoris magis esse convenientem. Ex serie enim constitutionis satis aperte liquet, eum, ut locus sit modo huic procedendi, eam præstruxisse demonstrationem, quæ præterquam, quod recognitio accedat, penitus jam absoluta est. Quod de ea dici non potest, ubi editio postulatur. Potest etiam hic varie disputari, an editio locum habeat, an in manibus sint rei conventi tabu-

læ, an indicia adsint, reum possidere instrumenta, (nam jurandum & hoc passu deferri nequit, §. 20. supra, quod alias licet per *Ordinat. Jud. Tit. 26.*) quæ indicia etiam documentis statim probanda essent; & si reus negat editionis juramentum opus &c. Quæ omnia sane, si præser-tim tertius, qui non in lite est, ad editionem compellen-dus, longissimum tractum exigunt, & plane repugnant intentioni Nomothetae. Ipse etiam, ut ex verbis, nicht solche documenten in Händen/ darauff &c. es könnten aber gleichwohl alle facta &c. si ea conjungamus, & confor-mus, colligere licet, de talibus documentis sensisse, quæ in manibus sunt auctoris; quæ verba secundum nativum sen-tum de originalibus sunt intelligenda. Plane si nec copias quis habeat, vel exemplaria instrumentorum, illum arceri ab hoc processu palam est: quia illas jungere non potest libello, quod diserte constitutio exigit. Sed nemini obtrudimus hanc sententiam: sufficit cogitandi occa-sionem nos dedisse. Ceterum illud per se patet, docu-menta ejus conditionis esse debere, ut pro recognoscibili-bus haberi queant, qua de re hic agere non patitur insti-tutum. Atque hinc vidimatæ copiae, que dicuntur, & hic locum invenient, quatenus alias in ordinario vel summa-rio processu recognitioni sunt obnoxia. Dn. PRÆS. in Colleg. Præt. ad D. STRYK. Proc. c. 19. §. 4. j. Dn. MENCK. ad d. π. 325.

XXXV.

Offeren-dus Libel-lus. Postquam sic vidimus, quænam præsupponenda sint, si processui nostro summario irregulari locus esse debeat, nunc proprius ad modum ipsum procedendi accedamus. Sci-licet offerre debet actor summariam implorationem, vel supplicationem una cum copiis documentorum, quibus in-

intentionem suam inniti existimat, judici competenti. Verbaslic habent: Wenn Kläger eine summarische imploration oder supplication angiebt / und derselben alle und jede documenta, dadurch er seine intention zu behaupten vermeinet / in copia bengleget &c. Atque hæc ad actoris officium pertinent. Quoad libellum, qui conceptio verborum est, quibus actio continetur. Dd. adhuc hodie eum, licet articulatus eliminatus fere sit, in solennem vel ordinarium, ein zierlich Libell, & summarium vel simplicem recensionem facti, schlechte Geschichts-Erzählung/ distinguunt. Quorum illum in ordinario, hunc in summario locum habere dicunt. Qua ratione autem inter se differant hæc generalibellorum, non expediunt. Sane in effentialibus libelli, quæ in eo consistunt ut ex isto cognosci queat:

Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & a quo? differentia esse non potest: quandoquidem illa in omni libello etiam summario adesse debent, cum alioquin non intelligi possit, quid velint partes. Nec etiam in clausulis adjici solitis querenda est differentia, quæ vel non necessaria sunt, & inanæ maximam partem, vel si utiles, non tamen ad effentiam libelli requiruntur, & sic nec solenni quidem & ordinario præcise adponi debent. Pariter nec a forma externa, quod nempe libellus actionis seorsim cum libello supplicationis, præsentation- Schreiben / in ordinario offeratur, in summario autem utrumque conjunctim exhiberi soleat iisdem tabulis comprehensum, discrimen petendum; cum & in ordinario processu hæc saepius, sine vito, iisdem tabulis expressa, conjunctim exhibeantur.

Differen-
tia libelli
ordinarii
& summa-
rii spuria.

XXXVI.

Differen-
tia vera.

I.

II.

Duo ergo superesse videntur, quæ ordinarium a summario distingvant. I.) In libello ordinario conceptio verborum talis esse debet, ut ex causa petendi, seu medio concludendi, recte fiat illatio, sicque apta conclusio addatur: quo non facta, libellus nisi clausula salutari sustineri posit, rejicitur. In summario vero non præcise opus, ut petitum accurate sit conceptum, sed sufficit si judex & adversarius utcunque percipere posint, quid velit, & quale negotium proponat actor; licet nulla clausula salutaris adjecta. Quæ tradita Ddum Clem. Sæpe fundamentum habent. Confer. Dn. STRYK, in introd. ad Prax. For. C. 7. §. 7. & in Differt. de caut. abund. Processu C. 2. n. 53. II. Differentia in eo potissimum posita est, quod, antequam petitio intentionem continens, proponatur, in ordinario libello petitum sit dirigendum ad litis contestationem sollemnem, Kriegs-Befestigung / vel uti formula sueta habet: Einlassung / Antwort / und Kriegs-Befestigung: in summario autem auf Antwort und Einlassung / vel unum horum saltim; vel ad recognitionem instrumentorum, quod sit in processu executivo, vel etiam auf Einlassung und Antwort / aut unum horum, & simul recognitionem documentorum quod sit in nostro processu summario, ut mox videbimus. Dn. BERGER. Disc. Forens. Tit. 16. Observ. 1. pag. 460. Non vero negandum est, verba illa: Antwort / item, Einlassung / ambigua esse, & sic, si illis quis usus sit, sæpe disceptationibus præbere occasionem. Sane vocabulum Antwort sæpe sollemnem litis contestationem significare, non negandum est: atque id sit in nostra Ord. Jud. Tit. 16. ubi litis contestatio per Antwort explicatur, addito tamen richtig / richtige Antwort / quo fortasse solennis in-

nui-

nuitur. Atque hinc etiam est, quod in libellis ordinariis etiam Advoçati nostri hac formula utantur: *Fodert demnach von Beklagten richtige und deutliche oder unbewußte Antwort.* Quæ minime improbatur, ut vel plurimæ illæ formulæ *Schwendendorfferiana* abunde testantur. Quodsi vero tò Antwort absolute ponatur, secundum usum fôri nostri hodiernum, ad summarium processum id pertinere creditur: atque in hanc rem allegari solet ipse textus noster verbis: *Auf die Klage antworten.* Ex quo infertur, quod si quis agat ex instrumento apfo processu executive, petat tamen simul cum recognitione Antwort a reo: recognition und Antwort / deseruisse videatur executive processum, & summarium nostrum instituisse, & sic locum dedita contraria demonstrationi rei, maxime, si comminationem sub poena confessi & convicti adjici petat. *Da. BERGER. El. Proc. Exec. Th. 22. Et P. II. Suppl. p. 305. 386.* quod obſervatum fuit a Facult. Jurid. Witth. Mensi Aug. 1708. In Caus. Martin Stübings contra Otto Stübingen in Praefectura Torgaviens. agitata, & coram Se-natu in causa Joh. George Waltheris / contra Annen von Buchner M. Sept. 1707. Quodsi vero clausula salutaris adjecta tali libello, judicis officium subvenire actori, æquissimum est, ne commodis processus executive defraudeatur. *Quin & si clausula hæc deficiat, durum tamen esse* puto verbum illud captari, cum præsertim nulla lex adsit, quæ vetet in executive processu hoc verbo etiam uti. Ob quam causam etiam in *Ordin. recogn. Tit. 16.* id acutum, ne Advocati oscitantia obſit Clientibus harum captionum sa-pe imperitis. Tò Einlassen vero, & executive processui aptum habetur, modo recognitio simul petita. Hinc etiamsi Sententia injungat die *Einlassung sub poena confessi & con-*

victi, und recognitione sub pena recogniti, sive prævia sit talis petitio sive non, neutquam mutatus censetur processus executivus. Quod si autem rō Einlassung vel einlassen/ in libello vel sententia solum deprehendatur, nulla petita vel adjecta recognitione; processus executivus, qui sine petitione recognitionis, ejusque necessitate non potest concipi, cessabit, & summarius electus vel admissus censetur. Dn. BERGER. Disc. For. Tit. 16. Obser. 1. p. 461. 462. P. II. Suppl. p. 305.

Quomodo Res itaque eo redit in hoc processu nostro sufficere *bis petitio* verborum talen conceptionem, ex qua, quid velit actor, in fieri debet intelligi potest, quare petitum ad responsonem Antwort dirigitur, simulque ad recognitionem. Nec officit tamen, si loco Antwort/ Einlassung/ ponatur: nam his verbis promiscue uititur constitutio. Notentur verba: Auf die Klage antworten / item auf die Klage sub poena confessi & convicti sich einlassen / item die produciren documenta pro recognitis erkennen werden. Etsi autem textus non præcipit, quomodo petitio formanda: dum tamen jubet, qua fieri debent, exinde facile intelligitur, quid peti debeat. Quod si petitum ad solam recognitionem directum, non ideo rejiciendum libellum esse Dn. LIPSIENSES responderunt autore Dn. RIVIN. Tit. 5. En. 39. Quod si autem solum einlassen vel antworten petitur, nulla mentione facta recognitionis, summarius processus regularis non potest non institutus videri. Etsi vero juxta Clem. Sepe, libellus summarius ore etiam proponi posuit, verba tamen nostræ Constitutionis, wenn Kläger eine summarische imploration eingiebet / satis indicant, scripto hic opus esse: quod alias in ordinario processu requiritur Autb. Offeratur. C. de Lit. cont; ac praxis hodierna & in summarius gravioribus causis exigit.

*An libellus
scriptus
esse debe-
at?*

git. CARP. Pr. Tit. i. a. 3. n. 31. Quod cum temperamento
capiendum, de quo mox dicemus. Debet vero ista sup-
plica ita esse concepta, ut, tum libellum supplicationis, qua
petitur citatio, & terminus, tum actionis, qua ipse intentio
contineretur, contineat; (de quorum differentia alias videa-
tur STRVK. introd. ad Prax. For. C. III. & VII.) quia facta
proponenda sunt una cum documentis, quibus innititur
intentio. Maxime autem notandum est, exemplaria, seu
kopias instrumentorum esse, aequae ac in executivo, adjici-
endas. Originalia ut addantur statim, non opus; quamvis
posit actor addere, si velit. In aliis processibus ordinario,
& summario regulari, adjectio copiarum alias in nostro fo-
ro necessaria non est, & fere otiosa, ita nempe, ut nisi intra
fatale probatoriorum denuo inducentur, & producentur, pla-
ne non prosint actori. SCH VVENDEND. p. 681. 682. 706. Pra-
ses ad Process. D. STRVK. Cap. 19. §. 3. D. BARTH. Dissert. de
anticipat. §. 8. requiritur tamen in R. J. noviss. §. 34. ad hoc

XXXIX.

Oblato hoc libello, judici quid incumbat, nunc eviden-
dum est. Judicem competentem hic prærequiri per se Officium
patet, & testatur etiam Constitutio nostra, verbis: Judicis.
Sedentz
liche Richter / per quem innuit competentem. Jubet ergo
constitutio, ut accipiat istam implorationem. Quo loco
quari potest: an admittendus sit actor, qui ad acta implo-
rationem dictare vult, rogans, ut registratura hæc cum ex-
hibitis copiis documentorum, reo communiçetur? Ne-
gandum id esse videtur, quia constitutio exhibitionem
supplice jam scriptæ exigit, quod indicant verba: *suppli-
cation eingiebt / quæ de propositione orali commode in-
telligi non possunt.* Interim tamen si judex sponte ad-
mittat actorem dictantem, & postea, id quod actis inser-
rum

¶ NOV DE PROCESSU SUMMARIO

tum req. communicit, non video, cur id intentioni Legislatoris aduersetur, & processum vitiari queat. Imo, si sensum magis, quam verba, sequamur, existimo etiam, Judicem in causis levioribus, ubi alias nuncupativum admittit Praxis, ut notum, juxta Ch. Sepe debere judicem hac parte gratificari actori, modo ita dictare posit animi sensa, ut idonea petitio haberi queat. Accepto libello hocce, Jūdex ea omnia facere debet, quæ alias ad officium ejus pertinent. Quorū spectant ea, quæ de *Satisfatione & Guaranda in Resol. bisec. §. 17. & Mand. noviss. de anno 1691. §. 4.* habentur. Nam quod ad satisfationem attinet, res carēt dubio, eām, & in *summario in specie, & executivo* quoque præstandum ab actore, Dn. BERGER. *Dīs. Tit. 12. Obser. 1.* Quoad *Guarandam* dubitari solet, utrum in summarīs processibus exigi possit. Sed notum tamen est, Senatūni provocatiōnū affirmativam probare, & quoad causas summarīas in specie sic dictas. Dn. BERGER. *d. 1. & P. I. Suppl. d. t. pag. 152.* Pertinet etiam ad officium judicis, ut, si manifesto apparēat libellum supplicem non aptum esse huic processui, statim illum rejiciat, &, ut Dd. loquuntur, dentibus laceret. CARPZ. *Pr. T. 6. A. 1. n. 29.*

XXXIX.

*Terminus
præfigen-
dus.*

Quod si vero aptum deprehendat, vel res dubia sit, terminum præfigat ad responsionem, auf die Klage zu antworten ita tamen, ut copiam libelli, & adjectorum instrumentorum, simul transmittat, & terminum justum Saxonicum indulgeat, idque fiat sumtibus actoris, quod diserte constitutio exprimit, & alias tamen quoque juris est L. 4. §. fin. ff. de edend. quorum sumtuum refusionem victor sperare potest. Quod de termino *Saxonico* hic habet tex-tus, ex aliis constitutionibus nostris & præsertim Manda-

to

to Elect. 1670. promulgato Dresda §. 3. interpretationem capiit. Conf. Dn. BERGER. Discept. For. Tit. 4. Dum vero iubet lex, ut citatio fiat: Auf die Klage zu antworten/ minus dixit, quam sensit legislator. Ex sequentibus enim apparet, recognoscenda etiam documenta esse, sine qua recognitione, si actor negative responderit, documenta vim suam exerere non possunt. CARPZ. Process. Tit. 14. art. 2. Et jam antea diximus, libellum, ubi recognitio non petita, non huic processui, sed regulari summario esse aptum. Si ergo recte & ordine judex agere vult, & ad responsionem, & ad recognitionem reum vocare debet, horum enim ultimo neglecto arripiet reus occasionem tergiversandi, excipiendique, se ad recognitionem citatum non esse. Conf.

Tb. XXXV. XXXVI.

XL.

Reo non comparente ut judex reiteret citationem, Reo non & quidem adjecta comminatione sub pena confessi, vult compa- constitutio. Auf ungehorsames Auszenbleiben aber sub rente quid pena confessi anderweit denselben vorladen solle. Qua facien- parte suppono actorem comparuisse, & accusasse contu- dum? maciam rei, petuisseque novam citationem. Quod si au- tem & ipse actor emansit, terminus est circumductus. L. 73. S. 1. ff. de judic. SVVENDENDÖRE. ad FIBIG. p. 154. Reli- quia si neglexit actor judex officium suum non imploratus, non imperit. L. 4. §. 8. de damno inf. L. 18. ff. comm. divid. atque non accusata contumacia terminus quoque, praesens licet fuerit actor, circumductus est. CARPZ. Proc. Tit. 8. art. 1. n. 4. SVVENDEND. d. l. Circa petitum actoris in hoc termino repetenda sunt, quæ dicta Tb. 36. cavendumque Actori, ne processum in ordinarium vel summarium regu- larem mutasse censeatur.

*An opus
sententia?*

Cæterum non opus esse sententia, vel decreto, quod responsonem & recognitionem sub præjudicio injungat, sed recta via judicem repetere citationem, & illi comminationem addere posse, & debere, clarissima verba Constitutionis docent. Hæc tamen citatio integrum terminum Saxonicum continere debet: alioquin comminatio sine effectu erit, secundum mandatum supra allegatum de An. 1670. §. 3. Quæ ratio procedendi in processu executivo quoque diserte est præscripta Dec. noviss. 12. his verbis: In Fall er aber in diesem Termine nicht erscheinet/ noch erhebliche Ursachen seines Aussenbleibens einwendet/ so dann ista sub poena recogniti vorlæben/ & iisdem verbis habetur in Resol. gravam. §. 2. Verum hic Praxis & usus Collegiorum Saxoniorum repugnat, que in pronunciando minus attendunt poenam sola citatione comprehensam, sed tantum eam respiciunt, quæ in antecedente interlocutoria continetur. Atque adeo citationi comminationem, non præcedente interlocutione, temere insertam habent. Quod quidem prudenti consilio receptum dicitur, ne judex juris & rerum imperitus ejusmodi comminationibus facile abutatur. Restringunt tamen hoc ad citationem judicis inferioris, sive infimi, sive sub-alterni; contra vero putant, si citatio a summo Judice, Cancellaria Principis, vel Regimine profecta, cuius præceptis & comminationibus, uti alias, ita hic, aliqua prærogativa danda esse videtur. Latius hoc argumentum excutit, præjudiciisque illustrat Magnif. Dn. BERGER. Elect. Proc. Exec. Tit. 10. Obs. 1. p. 327. & P. II. Suppl. Tit. 10. p. 299. Non improbanda est illa ratio procedendi: durum tamen mihi videtur de omnibus judiciis ita sentire, subalternis præsertim & inter mediis, juris & rerum

rerum illos esse imperitos: quam ob causam hæc saltim
excipienda forent. Sed quicquid tamen illorum sit, exi-
stimo, usum illum & observantiam Collegiorum, haud be-
ne ad illum casum trahi, ubi apertissima lege aliud est
constitutum. Nullius Collegii vel Judicij autoritas tanta
est, ut jus scriptum, idque apertum, immutare, vel corri-
gere queat. Et sane Epilogus Decisionum & Resolutio-
num nostrarum satis severa prohibet, ne contra leges ha-
sce innovatio, vel observantia, introducatur. Ut adeo
quam firmissime mihi perswasum habeam, tum in execu-
tivo processu, tum etiam in hoc nostro summario, com-
minationem a judice, nulla precedente interlocutione, ci-
tationi recte inseri, & effectu suo non destitui, peccare-
que Judicem, qui hoc neglit, & effectu suo destituit istam
comminationem. Hæc dum meditor, non possum dissi-
mulare, sæpe miratum esse, Praxin tantum interdum, ut
Dd. loquuntur, tyrannizare, ut præter omnem opinionem
contra apertissimas leges, observantias introducat, & ad-
mittat. Exemplum hujus rei ex Resol. Tit. Bon Consisto-
rial-Sachent §. 5. in promptu est. Ex quo clarissime patet,
dass concurrentibus creditoribus der Bezahlung halber
die Ordnung wie die Gläubiger in der N. G. O. (scilicet
ratione prima classis) der Reihe nach erzehlet werden/ ins
Künftige gehalten werden solle/ quod BERLICH. jam
olim voluit P. 1. Concl. 64. num. 122. ZIEGL. ad Ord. Jud.
Tit. 42. pag. 248. Et tamen, nescio ob quam causam, quo
fato, non obstante lege ista, nihilominus juxta sententiam
CARPZ. Lib. 4. Rep. 12. n. 13. quoad onera realia, secus pro-
nuncietur, ita nempe, ut pro rata distributio inter hos cre-
ditores fiat: quod testantur præjudicia apud Dn. BERGER.
ad Tit. 42. Ord. Jud. Observ. 7. Aliter tamen olim Dn. Wü-
ger-

Praxis ty-
rannizat,

tebergensē sensisse, ex loco B. ZIEGLERI allegato, colligere
licet, & aliunde compertum est.

XLII.

An condemnatio ad legitima impedimenta posse sit petiti?

Studium transactiōnis.

Except. dilatoria admittuntur.

De cetero nullum dubium est, actorem, emanentem
adversus reum, ad legitima impedimenta, & post ad execu-
tionem juxta Ord. Jud. Tit. 10. §. In Fall aber agere,
condemnarique reum, recte petere: si quidem potest, cum
succesu hoc per circumstantias postulari possit. Nam
nullibi hoc est prohibitum; nec hunc modum coercendi
contumaciam processus summarius alius, & executivus re-
spuit. Quæ omnia Ordinatio recognita Tit. 10. probat
apud Dn. BERGER. p. 333. Quodsi actor copiam sui ipsius
non faciat & in hoc processu adversus eum procedi potest
& debet prout alias id fieri svetum est juxta Tit. 10. Ord.
nostra Jud. ejusque Comment. Utraque parte vero com-
petente in judicio, Constitutio nostra diserte monet Ius-
dicem verbis: So hat der Richter zu, quæ ex §. 13. sup. pe-
tenda sunt, ut omnibus modis studeat, quo lis amicabili
compositione finiatur. Quod quidem & alias fieri solet,
& debet, neglectum tamen, non vitiat processum. B. ZIEGL.
ad Tit. I. Ord. Jud. p. 12. Via ista, si non succedit, reus ad
responcionem & recognitionem accingere se debet. Quo
ipso tamen neutquam præscissa sunt exceptiones dilato-
rie & litis ingressum impudentes, quibus uti, si modo ce-
teria sint paria, integrum erit. Nam licet de hac re nihil
habeat constitutio, sed tantum peremotorias diserte indul-
geat: non tamen etiam istas præscindit, quippe quæ sub
voce Einlassen vel Antwortem comprehenduntur. Sane
ubi nihil mutatum est, Jure antiquo utimur. Ut adeo
nihil intersit, si maxime per sententiam, vel citationem
responsio Einlassung und Antwort reo sit injuncta; & sub
poena

poena confessi & convicti quoque. Dn. BERG. in Disc.
For. Tit. 10. p. 332. Et Tit. II. p. 351. P. II. Suppl. T. 5. p. 261. Tit. 10.
p. 307. Ulti etiam nihil interest, an sententia illa adversus
reum comparentem, vel non comparentem, lata sit: nam
verba rubrica Decisionis, wieder aussenbleibenden Beklag-
ten / captanda non sunt, nec ideo ad absentiae causam lex
restringenda, cum ratio, quæ partim in recepto huc usque
stylo, partim in eo, daß der Beklagte zur Ungehörs nicht
zu überreichen / constitit, ad alterum quoque casum perti-
neat. Intelligere ita Decisionem Wittebergenses, com-
pertum est. Plane, quod in Dec. II. nov. de objectione ex-
ceptionum, intra tres septimanas suscipienda, habetur, ad
hunc processum non pertinet, sed executivo proprium
est.

XLIII.

Quod si ergo in termino primo, vel secundo, reus Exem-
comparens objiciat exceptionem non rite formati proces- plu.
sus, & libelli inepti, ex eo, quod statim appareat, omnia fa-
cta libelli, quem judex admisit, ex eo probari haud posse,
remque ita esse, cognoscat judex, nullam aliam, quam hanc
sententiam, ferre potest: Dass die Klage/ immassen Sie
anbracht/ nicht statt hat/ vel, quod idem est: Dass Beklagter
auf die Klage/ immassen Sie anbracht/ sich einzulassen nicht
schuldig. Addita pro re nata condemnatione in expensas.
Non male etiam agitur, si adjiciatur, quod apud Witteber-
genses fieri solet: Es ist aber Klägern/ Beklagten (pro re
nata) ordentlich zu belangen unbettommen. Ultrum autem non An judex
liceat Judici, si videat, non esse nostro Processui locum, beni- poterit
gna interpretatione eum commutare in ordinarium, vel commuta-
summarium regularem, vel etiam, si res ita ferat, appareat- re proces-
que, documenta esse Gvarentigjata, in ipsum executivum, & sum?

H

secun-

secundum formulas his aptas pronunciare, quæri potest? Et non male id affirmatur, arg. petito ex L. 66. ff. de Judic. si præsertim clausula salutaris libello adjecta, Dn. BERGER. Disc. Tit. 5. p. 139. Quod si vero reus in primo termino, vel in secundo, nulla tamen adhuc facta comminatione, comparuerit; exceptionesque ejus dilatoria, vel litis ingressum impedientes, rejiciendæ sint, vel ab auctore iis satisfactum; ipse subterfugiat tamen responsionem, nulla alia sententia se qui potest, quam qualem a. Dns. Wittebergenibus Mens. Sept. 1697. latam esse §. 32. supra diximus: similem habet Dn. BERGER. P. II. Suppl. Tit. 10. p. 305. Cui utique comminatio adjicienda: nisi sit fortasse, quod moveat judicem, cur illam omittat. Si responderit, nolit tamen documenta recognoscere; hoc sub præjudicio est injungendum; & vice versa. Etsi vero in executivo processu interdum, sub conditione recognitionis, condemnatoria statim ferri soleat, in hæc verba: Würde Beklagter das document sub A. gebührend recognosciren / immassen Ihm sub poena recogniti zu thun obliget so ist Beklagter die libellirten 1000. Thlr. ic. zu bezahlen schuldig; huic tamen processui nostro hæc formula non quadrat: quandoquidem reo exceptiones, etiam illæ, quæ altioris sunt indaginis, haud sunt præscindendæ. SCHVEND. ad Fibig. p. 64. Postquam vero comminatio præcessit, terminusque Saxonicus juxta Mandatum 1670. concessus reo, legitimeque citatio facta, emanens pro confessio & convictio, documentaque pro recognitis habenda sunt, condemnatioque fieri debet secundum petitæ auctoris. Quod & item fiet, si maxime comparuit, noluit tamen respondendo & recognoscendo officio suo satisfacere. Et quidem tunc id quoque fieri potest, licet terminus integer Saxonicus non præcesserit, quia vitium

*Conde-
mnatio rei
contuma-
cis.*

vitium illud comparitione est sublatum. Dn. BERGER. T. 10.
Disc. pag. 333. Atque licet alias, ubi instrumenta semiplene
probant, e. c. libri mercatorii, recognitio facta non exclu-
dat jurandum suppletorium, Dn. BERGER. Disc. Tit. 30.
p. 826. P. II. Suppl. p. 338. hic tamen, quia reus simul pro con-
fesso & convicto habetur, eo non est opus, sed simpliciter
reus condemnandus. Quod observavit Facultas Juridica
Wittebergensis in causa Joh. Sam. Kustens/ contra Christi-
an. Adolph von Weitzsch / und Consorten / a Praefecto
Dresden transmissa. Dass Beklagte nunmehr pro confes-
sis & convictis, die producirent Documenta sub Q. & D.
auch/ pro recognitis zu achten/ derowegen selbige die libel-
lirte Post w. Mensl. Julio 1708. Ob eandem rationem ad-
